

MARTYRIUM.

PROCEMIUM.

Nobilis est illa Platonis sententia, quod si corporis oculis virtutis pulchritudo cernere mirabiles sui amores in nobis excitaret. Quod si hoc in singulis virtutibus verum est multo magis verum erit in virtutibus his, quæ Deum ipsum spectant, et quorum officium est, eum honorare, credere, amare, et ei confidere. Illi enim homines altissimum, et nobilissimum objectum, in quod aspiciunt habent, qui Deus est rerum omnium Dominus. Ex quibus, quæ primum locum tenent et maxime Deum colunt, et ita illum glorificant, homines sunt, qui ut fidem servant, et immensam Majestatem, ut debent, venerantur, non solum vitam pro illa ponere volunt, sed crudelissimis et horribilissimis suppliciis profundere. Quod si qualibet virtus (ut dictum est) tam pulchra est, quanto formosior erit illius virtutis pulchritudo, quæ ad hunc summum gradum pervenisset, quod omnium maximum sacrificium est, quod homines offerre possint, et ultimum, ubi gratia hominem mortalem sublimem efficere possit? Tanta est hæc pulchritudo, ut (quemadmodum inquit Apostolus) non solum hominibus et Angelis, sed etiam ipsi Deo formosissimum, et admirabile spectaculum sit, qui gaudet quidem maxime, cum infirmam, et languidam carnem pugnare, et triumphare de universis totius mundi viribus, atque inferni pro sua fide, et amore cernit. In quo gratiæ vis, atque efficientia Christi redemptionis, per quam hæc gratia datur, profecto cernitur. Operæ pretium visum est, hæc Sanctorum tam fortiter morientium exempla, devoto Lectori separatim proponere, ut dum eorum generosa certamina intellexerit, ad similem fortitudinem in suis saltem tribulationibus generose ferendis ostendendum excitetur. 2. Porro ut, quanta fuerit hæc Sanctorum Martyrum virtus, clarius cognoscatur, eandem ex epistola quadam devotissima Fidelium Lugduni, et Viennæ Galliæ ab Eusebio lib. V *Ecl. Hist.* relata cognoscere licebit, ubi singularis Martyrum benignitas, aut modestia in hæc verba describitur: Isti vero ipsius

Christi (qui cum forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed se ipsum exinanivit, formam servi accipiens) tam vere æmuli, et imitatores erant, ut, quamvis in tali gloria, et splendore locarentur, et non semel, et iterum, sed sæpius ut Martyres decet, pro fidei confessione acerba tormenta perpassi, bestiis objecti, ab iisdem denuo obliti, ignito ferro exusti, vibicibus lividi, vulneribus undique inflictis exercitati: non tamen se ipsi Martyres esse prædicarent, neque cuiquam nostram copiam facerent, illos eo nomine appellandi; sed si quisquam nostrum eos, vel per litteras, vel per sermonem, ut Martyres, forte salutavisset, graviter eum reprehenderent. Libenter enim Martyris appellationem Christo, fidei et vero Martyri primogenito mortuorum, duci et auctori vitæ, quæ est ex Deo, concesserant: Martyrum etiam, qui jam ad Christum ex hac corporis custodia migravissent, nos non gravatum in memoriam redigerunt, dixeruntque: Illi jam vere sunt Martyres, quos Christus propter fidei confessionem ad se recipere dignatus est, et quorum martyrium ipso præclaro vitæ exitu tanquam sigillo certissimo obsignavit. Nos autem solum et abjecti Christi nominis confessores, atque fratres observabant cum lacrymis, ut preces pro illis ardentem et obnixæ Deo funderent, quo discussæ e vita opus, quod Deus tam benigne incepisset, cumulate exploretur. Et quamvis non modo libera responsa gentilibus dando, sed etiam patientia, magnanimitate, fidenti animi robore, contra omnes cruciatus, se generosos et strenuos palam ostendendo vim, et virtutem martyrii perspicue declarassent: tamen timore Dei referti Martyrum appellationem, qua fratres illos donare voluissent, ab se repellere studebant. Humilitate tanta erant, ut, licet Martyres essent, martyrii tamen nomen renuebant. At cum gentilibus aliter se habebant, quibus animi sui magnitudinem ostendebant, cum illorum tribunal non recusarent, et illorum tormenta penitus negligerent: itaque inter fratres defendere omnes, neminem accusare, omnes e vinculis eripere, colligere neminem conabantur. Pro illis, qui supplicia eorum corporibus infixierant, exemplum Stephani perfecti martyris imitati benigne orare solebant dicentes: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Gravisimum autem bellum ab illis propter ingenuam erga fratres charitatem, cum ipso dia-

bolo ideo susceptum erat, quod tantopere nitebantur, ut voracem illum, tanquam malæ bestiæ gulam stringendo eos vivos demuo evomere cogeret, quos prius tanquam mortuos se penitus devorasse putaverat: atque adeo velut matris indulgentis misericordia commoti multas lacrymas pro eorum salute in conspectu Dei Patris perfundebant vitam illis flagitabant. Quod quidem factum erat. Non enim ad celestem patriam illo felici die soli ire volebant, nec sui martyrii coronam perfectam esse arbitrabantur, cum suorum membrorum partem in captivitate sibi relinquere videbantur, quæ quidem adversarius noster diabolus ex ecclesiæ septis subripuerat. His breviter prænotatis, in quinque partes hunc Titulum dividam; et in prima quidem virorum. In secunda mulierum. In tertia puerorum et infantium. In quarta Sociorum Jesu martyrium. In quinta SS. Martyrum numerum breviter proponam.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est testimonium veritatis fidei, vel alicujus virtutis per mortis a persecutore illatæ vel intentatæ tolerantiam. Dicitur 1. *Testimonium*: hoc enim ipsum nomen Martyr, quod idem sonat ac testis, significat. Dicitur 2. *Veritatis fidei*, quia plerique Martyres ob defensionem fidei sunt mortui. Dicitur 3. *vel alicujus virtutis*: ut indicetur non requiri, ut semper explicite propter fidem quis moriatur, uti in multis martyribus videre est, licet implicite semper fidei professio concurrat. Dicitur 4. *Mortis*, per quod verbum significatur, non necessario requiri, ut mors actu sequatur, sed sufficere causam talem datam v. g. vulnus aut percussione, ex qua mors naturaliter sequi debuisset, nisi divinitus fuisset impedita, uti in S. Joanne Evangelista, S. Thecla, et pluribus aliis patet, qui ab Ecclesia pro martyribus habentur, etiam si inter ipsa tormenta non sint mortui. Dicitur 5. *A persecutore illatæ*: hanc enim persecutionem communis sensus Doctorum ad verum Martyrium requirit, ut a numero martyrum excludant eos, qui ex charitate pestiferis inservientes, aut aliud simile obsequium præstantes obierunt; quos quidem veris martyribus accensendos esse fuse cit. P. Theophilus Raynaudus probare conatur,

sed contra communem sensum Doctorum, et fidelium, qui eos, qui per miraculum pestem contractam evaserunt, neutiquam pro martyribus veris in gratia confirmatis agnoscent, sed pro illis mortuis habere, ac pro aliis orant, quod tamen facere non deberent, si pro veris martyribus eos agnoscerent; unde et in Martyrologio Romano 28. Febr. dicitur, Alexandrinus Presbyteros, aliosque fideles, qui in obsequio pestiferorum obierunt, religiosam piorum fidem *veluti* Martyres, id est, minus proprie dictos venerari solitos et recte, cum Christus ipse beatos dicit, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, qualem dicit Alexandrini fideles non sunt passi. Dicitur 6. *Vel intentatæ*, ut indicetur, eos, qui quandoque sponte se in ignem, aut aquam conjecerunt, non quidem actu a persecutoribus occisos, sed tamen ob persecutionem precedentem, quam videbant, evadere se non posse, Spiritus sancti instinctu mortem sibi accelerasse, adque adeo pro veris martyribus habendos esse.

Divisio. — Dividitur martyrium late acceptum communiter in proprie et improprie dictum. Illud est, quod priori numero definitum et explicatum est; hoc in pia quacunque et patienti persequente consistit, ut Theophilus Raynaudus docet, variisque Sanctorum Patrum testimoniis martyrio æquiparari ostendit, quod quidem horrore mitius est sed diuturnitate frequenter longius, ut Sanctus Bernardus loquitur. Unde Sanctus Petrus Damianus ait: Quisquis amat martyrium, exhibeat se martyrio dignum, et martyrii proculdubio consequetur præmium. Non potest sanguinem fundere, potest semetipsum penitentiaæ telo percutere et in cordis contritione mactare. Præparetur ad feriendum cingulum, non deerit remunerator, etiam si defuerit gladius, deest carnis flex, qui cervicem exterius feriat, adest Index qui bonæ voluntatis præmium reddat. *In fer. de S. Barb.*

Martyrium proprie dictum iterum subdividitur a Beirlin in materiale, et formale. Materiale est, quod absque ullo actu voluntatis peragitur, quale fuit martyrium SS. Innocentium, quos Origenes flores et primitias martyrum vocat, eo quod testimonium, quod sermonem perhibere non poterunt, passione reddiderunt, atque adeo Deus pro formali martyrio acceptavit. Formale martyrium est, quando mors per actum vo-

luntatis acceptatur, ut in adultis fieri solet; ad quod proin requiritur, ut mors propter Christum, et odium Catholicæ Religionis, aut propter opus virtutis alienus irrogetur. Requiritur præterea ut persecutoribus non resistatur (unde milites in bello occisi, non dicuntur Martyres), ut fide supernaturali credatur veritas, pro qua tuenda mors sustinetur (cujus defectu hæretici non sunt martyres) et legitima dispositio saltem attritionis afferatur.

GRADUS. — Quatuor gradus martyrii ab eodem Beirlinec assignantur, quorum primus est, quando suprema veritatis testificatio per mortem actu secutum completur. Secundus est, quando causa sufficiens ad mortem naturaliter inferendam data est, sed mors actualis non statim, sed post intervallum sequitur ob vulnus v. g. lethale inflictum. Tertius est, quando mors, quæ naturaliter sequi debeat, divinitus impeditur. Quartus est, quando gravia tormenta pro fide tolerantur, sed non læthalia, quos Tertullianus martyres *designatos* appellat, S. Cyprianus vero Martyres vocat, prout a Confessoribus, qui fidem sine tormentis profitentur, distingui solent.

EX S. SCRIPTURA.

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. *MATT. c. vi.*

Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. *MATT. c. x.*

Qui amat animam suam perdet illam: et qui perdidit animam suam propter me, inveniet illam. *IBID.*

Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi ego sum, ibi et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit honorificabit eum Pater meus. *Jo., c. xii.*

In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere. *I. Jo. c. xii.*

Christus passus est pro nobis, vobis relinquentis exemplum, ut sequamini vestigia ejus. *I. PETR. c. ii.*

Recogitate eum, qui talem sustinuit adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis deficientes. *HEB. c. xi.*

Quoniam servasti verbum patientiæ, et

ego servabo te in hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum, tentare habitantes in ea. *APOC. c. i.*

Quod in presenti momentaneum est, et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternam gloriæ pondus operatur in nobis. *II. COR. c. iv.*

Existimo, quod non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *I. COR. c. ii.*

EX SS. PATRIBUS.

Nullus athleta generosus in stadio balnea quærit, aut mensam cibis et vino redundantem. Hoc non est athlete, sed delicati. Athleta namque pugnat in pulvere, oleo, solis ardore, sudore longo, tribulatione et angustia. Hoc est certaminis tempus et pugnae igitur et vulnere, doloris et cruoris. *S. CHRYS. h. lxxvii, ad Pop.*

Nihil est æque præclarum, atque vincula pati propter Deum. Vincetum esse propter Christum præclarior est, quam esse Apostolum, quam esse Doctorem, quam esse Evangelistam. Si quis amat Christum, novit quod dicitur: Si quis in Deum insanit, et majus amore utitur, novit vim vinculorum, eluere esse vincetus propter Christum, quam habitare cælos. *In. hom. in Ep. ad Eph.*

Si quis mihi daret totum cælum, aut Pauli catenam, ego illum perferrem. Si quis me apud superos collocaret cum Angelis, aut cum Paulo victo, eligerem carcerem, et vincula. Nihil est melius, quam mala pati propter Christum. Non tam beatum existimo Paulum, quod raptus sit in tertium cælum, quam eum censeo beatum propter vincula. Mihi est optabilius male pati pro Christo quam honorari pro Christo. Hæc est gloria, quæ omnia exsuperat. *IBID.*

Unde tu delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce, pactum quod spondidisti: conditionem, qua accessisti; militiam, cui nomen dodisti. *IBEM Ser. de Mart.*

Non respondeas, sed esto tanquam surdus. Colligit enim in sinu patientiæ contumelias (et cruciatus) quasi lapides pretiosos quibus ornabitur corona sua, de qua S. canit Eccle-

sia: Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis. *HUGO CAR.*

Nunquid non est mirabile in oculis hominum, quod mentem fragilis hominis ita Deus inflamet, ut præ amoris magnitudine, quo intus erga eum æstuat, etiam propriæ vitæ obliviscatur, in tantum, ut ad gravissimos quoslibet cruciatus velut insensibilis fiat, et sine sui cura libenter omnia pro nomine ejus sustineat? *S. EPHR., or. in 40 Mart.*

Nihil ad amplificandam, et latius diffundendam Religionem aptius martyrio generose suscepto, propter insignem vim tam ardui operis ad bonum prælucentis. Hinc Tertullianus sanguinem Martyrum vocat semen Christianorum.

Morte Martyrum Religio defensa, cum lata fides; Ecclesia roborata est, vicerunt mortui, victi persecutores sunt; itaque quorum vitam necimus, horum mortem celebramus. Unde et David propheticæ gloriatus in suæ mentis excessu: Pretiosa, inquit, in conspectu Domini mors sanctorum ejus; mortem maluit præferre, quam vitam. Ipsa mors martyrum præmium vitæ est. *S. AMB. l. de Resur. fide.*

Cum omnium, dilectissimi, summa virtutum et totius plenitudo justitiæ de illo amore nascatur, quo Deus, proximusque diligitur; in nullis profecto hic amor sublimius excellere, clariusque fulgere, quam in beatissimis Martyribus invenitur, qui Domino nostro Jesu Christo pro omnibus hominibus mortuo jam propinqui sunt imitatione charitatis quam similitudine passionis. *S. LEO, in f. de S. Laur.*

Martyr quisque esse potest sine voluntate, sed non contra voluntatem. *BERN. in Nat. Dom. serm. i.*

Martyrium fiducia fortitudo et tolerantia ex ulceribus et vulneribus Christi. *INEX super Cant. serm. lxi.*

Martyrium sine charitate implere impossibile est. *CHRYSOST. super Ep. ad Hebr.*

Sancti Martyres præsentem vitam non despexissent, nisi certiores animarum istam subsequi seipent. *GREG. Dialog. l. IV.*

Mori a persecute, martyrium est in aperto opere: ferre vero contumelias et odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. *AVE. super Ps. xx. GREG., in homil.*

Hoc baptismus scilicet martyrium in gratia
TOMUS III.

majus, in pietate sublimius, in honore pretiosius. *CYPR. in quadr. Epist.*

Martyrem non facit pena, sed causa. *GREG. ad Reg.*

EXEMPLA SACRA.

De illustribus virorum Martyriis.

Primum hic locum merito Christum obtinet, utpote dux et exemplar omnium Martyrum, de quo proin recte dixit S. Laurentius Justinianus: « Præcessit Gigas ingens, passiois subit certamen, et cæteri et militantes similia sustinere non paveant. Verecundum quippe est, ut irrupente Duce cuneos tribulationum, reliqui imitari dedignantur. Nam est abjectum in servo, quod processit in Domino. Dolorem servi dolor lenit Domini. Passio passione vincitur, et cruciatibus cruciatibus superatur. »

Christum velut Summum Ecclesiæ Pontificem merito secutus est S. Petrus velut Vicarius ejusdem, et S. Paulus, vas electum, qui portabat nomen ejus coram Gentibus, de quorum martyrio sic scribit Ribadeniera: Jamque dies imminere Apostolorum martyrio destinata: mærebat passim Christiana pietas, quod geminis simul oculis hisce sese sentiret orbendam, quod geminas sibi, principesque columnas cerneret auferendas. Quam ob rem vel apprimere tam chari capitis periculo solliciti certant, suis S. Petrum precibus ursere, vellet incolunitatis suæ suorumque consulere, vellet et custodia sese proripere, atque in tutam se recipere. Quid ageret Apostolus? quo se verteret? Hinc incredibili martyrii pro Christo patienti desiderio utebatur; illic assiduis piorum precibus ac lacrymis, ut servaret se, vinculisque erumperet urgebatur. Quid multa? vicere piorum preces: cessit Apostolus, quamvis martyrii, sitientissimus, suorum lacrymis. Custodia Romanæ digressus, latebras quibus occuleretur, circumspexit. Latebras ergo meditantem (quemadmodum Sanctus Ambrosius, Sanctus Gregorius et Hegesippus litteris prodidere) loco (qui Sancta Maria ad passus appellatur, et Sancti Joannis Lateranensis, ac sancti Sebastiani Basilicas inter insignis est hodieque sacello) occurrit Christus. Quem simul aspexit, agnovitque: « Domine, inquit, quid vadis? » Respondit Dominus: « Venio Roma-

mam iterum crucifigi. » Intellexit Apostolus ad suam crucem divinum pertinere responsum. Christus enim non poterat iterum crucifigi, qui semel passione suspecta redidit carnem mortis exuerat : « Quod enim mortuus est, mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo. » Intellexit enim Petrus quod iterum Christus crucifigendus esset in servulo. Itaque sponte remeavit, interrogantesque Christianos accepto divinitus oraculo consolatus, custodiam repetiit, mortem pro Christi gloria oppetiturus. Lata denique fuit in Apostolos mortis sententia, qua S. Petrus tanquam Judæus ad crucem, S. Paulus tanquam civis Romanus ad gladium damnatus est. Ante tamen, quam ducerentur, uterque more Romano virgis caesus. Quin et in S. Maria Transpontina (quæ religiosæ Carmelitanorum familiæ addicta est) visuntur hodieque columnæ quibus Apostoli alligati vapularunt. Hinc simul custodia producti extra portam Trigeminam (quæ Ostiensis dicitur, quod hinc Ostia eatur) ducti, postquam multo sese salutassent amplexu, pacisque osculo invicem valedixissent, divisi sunt. Petrus ductus ad editiora Vaticani montis prærupta (quæ mons aureus hodie appellantur) fortasse, quod Apostolus sit ibi crucifixus, hic suo nudatus amictu, crucifixus est incredibili lætitia gestiens, quod Dominum imitari, eique suam reddere vitam liceret, qui suam sibi prior impertisset. Indignum porro sese ratus eo, quo divinus Magister, modo, crucifigi, licetores efflicti rogavit ut se pedibus in aera sursum porrectis, versoque deorsum capite in crucem agerant. Tanti fuit Apostolo Christiana submisso, ut hanc etiam moriens modestissimo plane corporis situ, quamvis maximo suo cruciatu voluerit obsignare. Ita princeps Apostolorum Petrus suæ cursum peregrinationis absolvit, et sua morte Christi mortem, suaque cruce ejusdem crucem gloriosissime imitatus, Christianam religionem plantavit, suoque eandem sanguine irrigavit, ea in urbe, quæ tunc audiebat mundi domina; sed imposterum propter S. Petri cathedram illic defixam, continentiamque successorum illius seriem, erat omnium caput Christianorum futura, quod nempè deinceps, « latius præsideret (ut S. Leo Papa loquitur) religione divina, quam dominatione terrena. » Corpus Apostoli Marcellinus presbyter pie reverenterque acceptum, magnificeque aromatibus conditum, ad

quoddam Vaticani latus, haud procul eo loco quo fuerat crucifixus, humatum est. Fuit S. Petrus statura corporis proceræ, colore infer album et aquilinum, coma barbaque crispæ densaque, non tamen promissa, nigricantibus oculis, sanguineo rubore suffusus, quod jugibus roret lacrymis, et quidem tunc uberrime, cum gallicinium, olim negati ab se Christi memor, adiebat. Ciliis suis omnino raris, et quodammodo depilis, oblongo, incurvoque naso, quem vel imprimis certam prudentiæ notam metoposcopi existimant. S. Paulus vero deductus est ad supplicium magno strepitu, numeroaque comitatu stipatus. Sub ipsam civitatis portam Romanarum Matronarum nobilissimam, nomine Plantillam, prorsus moestam forte conspiciat, linteum ab ea poscitur, quod quemadmodum mos erat is, qui capitis punirentur, faciem obnuberet, pollicitus ei, se restitutum. Illa prompte petenti linteum porrexit. Eodem in itinere tres eorum militum, a quibus stipabatur, ad Christum conversi, sunt quorum uni nomen fuit Longius, alteri Acestus, tertio Megistus, omnes Martyrii laurea coronati, quorum festam celebrat Ecclesia memoriæ prid. Kal. Julii. Lobus, in quo S. Paulus obruncatus, is est qui hodieque dicitur ad tres fontes, quem paganorum postea immanitas, macellum fecit Christianorum. Hic enim S. Zenno cum decem millibus ducentis tribusque millibus barbara plane laniena mactati. Illud autem fuit admiratu dignissimum, quod Apostoli obruncati cervicis (ut auctor est S. Chrysostomus), non sanguine, sed uberrimo lactis rivo manarint. « Quid autem mirum (inquit S. Ambrosius) si abundant lacte nutritor Ecclesiæ; sicut ipse ad Corinth. ait : lac vobis potum dedit, non escam. » Ejusdem caput Apostoli, ut traditione constat, a cervicis revulsus, tribus sese saltibus quadam spiritus vi, divinitus agitavit; singuli vero saltus singulos elievere fontes, ad quos Romæ frequens hodieque Christianorum pietas magna reverentia in-visit. Atque his miraculis in Apostoli martyrio patris, quinque et triginta gentiles (ut auctor est S. Chrysostomus) ad Christum conversi sunt. Idem etiam Apostolus postea apparuit Plantillæ (de qua paulo ante dictum) eique linteolum obnubendis oculis acceptum restituit. Corpus Apostoli illustrissima piissimaque Matronarum Lucina asportatum, suo quodam prædio honorifice reve-

reterque humavit. Fuit S. Paulus statura pusillus, dorso nonnihil gibboso, facie subpallida, pluresque annos computante, quam revera numeraret; oculis meras charitates spirantibus, ciliis modeste submissis; naso venusto, aquilino, oblongo, barba densa promissaque, nonnullis canis sicut et coma capitis, aspersa, vultu venerabili, et pietatem virtutemque spirante, miroque quasi caractere vas electionis indigitante. Existimat S. Jeannes Chrysostomus Apostolum octo de sexaginta vitæ annos exlesse; decessisse anno Christiano nono et sexagesimo, imperii Neronis tertio decimo, ut auctor est Baronius; gloriosos Ecclesiæ Principes sanctorum Petrum et Paulum recentiores juxta, veteresque Doctores, tot tantisque laudum præconiis attolunt, ut omnia hoc tantillo compendio stringi nequeant. Sed et quamvis multa dicas, plura relinquas oportet. Sanctus Joannes Chrysostomus in hæc affatur Apostolos hæc verba : « Vos estis lux mundi, qui estis potentiores Regibus, fortiores militibus, ditiores divitibus, sapientiores philosophis, elegantiores oratoribus; qui nihil habetis, et omnia possidetis. Vos estis Martyrum tolerantia; Patriarcharum orthodoxa sententia; Monachorum exercitatio; Virginum honoratores; conjugum coronatores; raptorum refrænatores; tegumentum Regum; murus Christianorum; habena barbarorum; maleus hæreticorum. »

RIBADEN., 29 jan.

S. Joannis Apostoli martyrium sic describit idem Ribadeneira: Vespasiano Titoque Imperatoribus omnino modestissimis, successit in imperio Domitianus, patris Vespasiani, Titique fratris dissimilimus, qui secundam movit in Christianos persecutionem, qua vel oppido afflxit, vel prorsus e medio sustulit innumeros. Degebat eos tempestate gloriosus Apostolus, et Evangelista Joannes Ephesi, indeque velut ad clavum sedens, cunctis totius Asiæ moderabatur Ecclesiis, quas ille suæ doctrinæ lumine collustrabat, omnesque impertiebat cœlesti vita Christianos, a quibus haud aliter, ac homo quidam divinus, Apostolus, discipulusque, quem diligebat Jesus, orbis oraculum mundique lux suscipiebatur, ac venerabatur. Captus occasione persecutionis a Domitiano concitatus jam grandævus, gravesque in itinere perperuss ærummas, Romam denique ductus est. Hic, quod obedi-
re Domitiano idololatram imperanti detrectas-

set, ad bullientis olei lebetem damnatus est, ut non quocumque, sed prorsus atroci genere supplicii e medio tolleretur. Decreta fuit huic sacrificio dies ad pridie Non. mai Anno Christiano XCV. Designatus supplicii locus, ante portam Latinam, sic dictam, quod ad Latinos duceret. Confluxit ad hoc illustre adeo spectaculum omnis ætas, ordo, sexus, etiam ipse Senatus, quos tanti fama, dignitas, ætasque Apostoli, et atrocis supplicii novitas exciverat. Itaque solemnissimum (quod apud Romanos ad mortem damnatis adhibebatur) crudeliter prætus, suis inde vestibus exutus, in bullientis olei lebetem coniectus est. Non exhorruit bulliente jam oleo spumeum gloriosus Evangelista lebetem, sed rugatam senio frontem læta exporrexit, memor prædicti sibi, utque fratri a Christo oraculi illius: « Calicem quidem meum bibetis. » Memor etiam calicem cruciatuum a Christo pro se perpersorum, longe amariorem fuisse suo, avidus denique collatum reponere pro tanto beneficio sibi collato vicem, et vitam cum sanguine profunderi pro gloria illius, qui sua causa, suam prior ipse vitam profuderat, itaque beatitatis æternæ municipium subire. Simul atque S. Joannes Evangelista lebetem subit sua igni, oleoque vis adempta, atque in cœlestis temperiem roris conversa est. Cæterum ut intelligeret impietas, cuncta creata suo servire Creatori; nosceretur inter pios inter et impios, Christianos inter et paganos distinctio, mox ut impietatis satellites pyram succendere, fomitemque lebeti subjecere, ignis vindicæ crudelitatis flammæ jaculatus, eorum multos exussit, nec Apostoli vel pilum læsit. Refert Tertullianus (ut inquit S. Hieronymus adversus Jovianum) quod Romæ missus in ferventis olei dolium, purior et vegetior exiverit, quam intraverit; perinde scilicet, ut aurum camino ignis eductum, christianis miræ lætitia gestientibus, paganis horrore, metuque attonitis, et horrendum fremente Domitiano, a quo in Pathmos insulam relegatus; infinitis illic cœlestibusque a Domino favoribus auctus, scripsit Apocalypsim, infinita (ut loquitur S. Hieronymus) « futurorum mysteria continentem, » quæ sunt adeo sublimia, atque divina, ut quamvis hæc eruditissima queque totius Ecclesiæ ingenia scrutati sint, omnia tamen perscrutari nequiverint. Subsistit in hac insula S. Apostolus usque ad obitum Domitiani,

atque hoc tempore insulanos ad Christi fidem convertit, et S. Dionysius Areopagita unas ad eum litteras dedit, quibus ipsum significat, prope diem ab exilio revocandum, mutuoque aspectu fructuros. Ita namque sibi a Domino revelatum. Prædictionis veritatem probavit eventus; interfecto namque Domitiano, et actis ejus ob nimiam crudelitatem a Senatu rescissis, ab exilio Asiam rediit, exceptus omnium plausu Christianorum, tanquam cælo delapsus, tanquam Apostolus, et Apostolus quidem tam Domino dilectus; tanquam Propheta et Martyr, ut pote cui voluptati fuerit, quovis pro Christo cruciatus, ipsamque subire mortem, quamvis hæc secuta non sit, sed divinitus impedita, quo scilicet Evangelium scriberet, et instar aquilæ in cælum subvolaret, fixoque mentis obtutu divinæ contempleretur majestatem lucis et æterni generationem Verbi, quod Patre prognatum, in ejusdem sinu conquiescit, ac denique explicaret, quomodo idem Verbum humanæ mortalitatem carnis indutum pro redimendis hominibus mori dignatum sit. Atque hujus adeo illustris facti memoriam hoc die celebrat Ecclesia. *Idem 6 maii.*

S. Andreas Apostolus cum varias Provincias Evangelii luce collustrasset, concessit Patras, urbem Provinciæ Achaïæ ubi radios Evangelii diffundere, et animos ab ore tyrannide cepit vindicare. Cognovit id forte Proconsul Ægeas, qui variis technis, tormentis, et mortis generibus persuadere nitebatur Christianis (quorum jam numerus auxerat) suos ut Deos adorarent. Accessit eum S. Andreas his affatus: « Oportebat te quidem, qui Judex hominum comprobaris, summum illum, et incorruptum vivorum atque mortuorum Judicem agnoscere, et agnitu colere, colendoque animum ab impio et nefario deorum cultu revocare. » Cui Ægeas: « Tu es, inquit, ille Andreas, qui deorum templa subvertis, et novam religionis superstitionem hominibus persuades, cujus auctor Jesus vester a Judæis crucis patibulo affixus fuit? » Tum vero sanctus Apostolus Proconsuli ineffabile mysterium nostræ salutis, immensamque declarare cepit Jesu Christi charitatem, qua nostræ mortalitatem carnis indutus, nostrorum peccatorum causa, fuit actus in crucem. Porro multis ipsam crucem laudum præconiis efferens ostendit hujusce mysterii decorum, miseræ paganorum cæcitati pror-

sus ignotum. Sed Ægeas, ut hos Apostoli sermones audiret, ait: « Ista verba inculcato, qui tibi fidem adhibent: mihi autem nisi deorum sacrificia laudenti obtempere, in istam, quam tantis laudibus extollis crucem, te fustigatum affigi præcipiam. » Cui S. Andreas: « Ego, inquit, unico omnipotenti veroque Deo, omni die sacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum. Cujus carnes posteaquam credentium populus manducaverit, et sanguinem in ara crucis semel effusum biberit, Agnus qui immolatus est, integer perseverat et vivus. » Denique hic fuit sermo cum Ægea Proconsule institui finis, ut S. Andream captum custodiæ manciparit. Quam ob rem populus in seditionem versus, violentas haud dubie Proconsuli manus attulisse, nisi Apostolus vetuisset, cunctos e vinculis hortatus, ne tyranno rebellarent, sed imitarentur mansuetudinem Jesu Christi, qui sibi præcepisset ut ita plus mereretur. Addidit et Proconsulem esse potius honorandum, quod ab eo nil mali, sed boni multum præstaretur. Itaque eos enixe precatu est, ne quoquo modo suum vellent martyrium impedire; cruciatuum namque brevi fore finem, sed reliquum esse præmium sempiternum. Postera die Proconsul eum vinculis productum sic affatus est: « Existimavi te nocturna cogitatione a mentis tuæ stultitia respicisse, ut possis nobiscum deinceps hujus vitæ gaudiis secure perfrui; stultum enim est, temeraria mente ad supplicium proferare, et semetipsum in exilium ante oculos positum præcipitem dare. » Cui Apostolus: « Gandiis tecum fruar sempiternis, si execrabili deorum cultu relicto, tecum Christo credas, et animæ tuæ curam geras. Ego enim missus in hanc Provinciam a Christo Salvatore nostro ingentem populi multitudinem ab errore ad fidem, et a morte ad vitam perduxi. — Et hoc est, inquit Ægeas, quod me discruciat, atque adeo te illi sacrificare jubeo, quo scilicet omnes illi, qui tuis sermonibus demerati sunt, tuæ deserant doctrinæ vanitatem, et ad antiquam redeant suorum deorum cognitionem. Nam ullam jam carnere est Achaïæ civitatem, in qua templa, fanaque deorum tuis sermonibus non sint in solitudinem redacta; cumque tu populum seduxeris, decet ut seductum reducas. Sin, ego te variis excruciatum sup-

plieiis cruci affigam. » Ad hæc Sanctus Andreas ait: « Audi, fili mortis, et stipula æternis parata incendiis, audi me servum Domini et Apostolum Jesu Christi. Hactenus censura fidei mitius tecum egi, ut rationis capax, et veritatis defensor effectus, idola vana contemneres, qui in cælis est, adorares; sed quia in imprudentia tua perseveras, me existimas minas tuas formidare posse, age, quidquid tibi in suppliciis majus videtur, cogita. Tanto enim Regi meo ero acceptior, quanto pro ejus nomine in tormentis certavero constantior. » Tum enim vero Proconsul indignatus eum nudatum crudeliter a septem lictoribus, aliis atque aliis invicem ter succedentibus cædi jussit: irruit adeo effusa in Apostolum verberum grandio, ut omnino cruentum nil in eo nisi vulnus appareret. Denique cum vidisset et Ægeas invictam Apostoli constantiam, eum cruci non clavibus affixit, sed funibus alligavit, quo nempe prolixius esset martyrium. Porro cum duceretur, populus occurrit, exclamavitque: « Justus homo, et amicus Dei quid fecit, ut ad crucem ducatur? » At Andreas populum oravit, ne vellent sibi auferre tantum bonum. Tum dein totus aspectu crucis, in quam se suspendendum norat, exhilaratus, sui que amore Domini, quem gestiebat imitari, succensus, alta voce magnoque fervore spiritus exclamavit: « Salve crux, quæ in corpore Christi dedicata es, et ex membrorum ejus margaritis ornata. Antequam te ascenderet Dominus timorem terrenum habuisti; nunc vero amorem cælestem obtinens, pro voto suscipis. Securus et gaudens venio ad te, ita ut et tu exultans suscipias me discipulum ejus, qui pendit in te. O bona, quæ decorem et pulchritudinem de membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita, et aliquando jam concupiscenti animo preparata. Accipe me ab hominibus, et redde me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te redemit me. » Porro cum sanctus Apostolus morti propius adesset, ipsemet vestes sibi detraxit, easque carnificibus suis donavit, a quibus in altum sublatus est, ad eumque modum, quem jussi sunt, alligarunt cruci, quam circumstant ad viginti millia hominum, qui undique confluerant, ut contemplerentur, et venerarentur Apostolum, qui consolabatur omnes, et ad similes cruciatus pro Christo sufferendos exhortaba-

tur. Hæsit biduum in cruce vivus. Quod eum populus admodum ægre ferret, exclamavit: « Virum sanctum, pudicum, modestum, rationabilem, non hoc debere pati, sed debere deponi de cruce, quia jam secunda die in cruce positus veritatem predicare non cessat. » Rescivit Ægeas adversus se populum indignari. Quam ob rem seditionem concitandam sedaturus, damnumque, quod timeri poterat, aversurus, Apostolum de cruce deponere decrevit. Cumque ipsemet eodem contendisset, suisque ministris, ut eum cruce deponeret, imperasset, jamque essent ministri mandatis parere parati, non poterunt Apostoli corpus accedere. Quod si vero etiam brachia ad parandam vim tendissent, subito exarscebant, et vigorem viresque amittebant: nam sanctus Apostolus sublata voce dixerat ad Dominum conversus: « Ne me permittas, Domine Jesu Christe, famulum tuum, qui propter nomen tuum pendeo in cruce, solvi, et ab Ægea homine corruptibili humiliari, sed suscipe me, tu Magister mi Christe, quem dilexi, quem cognovi, quem confiteor, quem videre desidero, suscipe, Domine Jesu, spiritum meum in pace, quia jam tempus est, ut ad te veniam, desiderans te videre. Suscipe me, Domine Jesu Christe, Magister bone, et jube me de ista cruce non deponi, nisi prius spiritum meum susceperis. » Sic effatum ingens cælo splendor instar radiorum defluens circumfulsit, eumque ab astantium oculis abscondit, qui tantam ferre lucis nequibat claritatem media circiter hora durantem, quæ simul ac evanuit. Apostolus spiritum exhalavit prid. kalend. decemb. anno christiano LXII, imperatore Nerone. Nov. 30.

S. Jacobus Major Apostolus cum fervide peroraret Jerosolymis, et multis sacre Scripturæ testimoniis Jesum Christum verum esse Messiam, Deique Filium confirmaret, jamque verbis ejus populus moveretur, Abiathar, summus Pontifex ex condiclo signum tumultus edidit, mox quidam scribarum Josias Apostolum turbulenter aggressus, ejus collo laqueum iniecit; milites autem velut ad sedandum tumultum concurrentes Apostolum comprehensum Herodi obtulere, qui populo gratificaturus, eum jussit obtruncari. Cæterum cum jam duceretur (ut auctor est S. Isidorus) quidam paralyticus ab eo sanitatem poscit, qua protin-

nus Apostolus eum in nomine Domini liberaliter impertivit, Clemens Alexandrinus (ut refert Eusebius Cæsariensis in Ecclesiastica historia) ait, Josiam, qui primus Apostolo violentas manus iniecit, ad Christum fuisse conversum, veniamque impietatis suppliciter Apostolum orasse, et Apostolum suavissimis verbis exceptum osculo pacis impertisse. Non tulit hæc Hebræa impietas ideoque nullum non lapidem movere, quoad Josias Apostoli prece conversus, etiam ipse neci dederetur. *Ibid.* 23 jul.

S. Philippus Apostolus cum Hierapolim Phrygiæ urbem ingressus, draconem ingentem ab incolis adorari solitum precibus occidisset, Sacrificuli et Magistratus illum comprehensum, victumque et squalentis ergastuli pædore vexatum, flagrisque concisum crucifigere lapidibusque obrutum occidere. Apostolus autem moriens meritis Deo gratias egit, quod se Dominicæ mortis imitatorum facere dignatus esset. Hinc impios Apostoli sanniones idem Deus horribili terræmotu (quo pleraque lecta cum suis inquilinis, ipsisque Apostoli tortoribus in penam crudelitatis in innocentiam exercite absorpta sunt) terruit. Itaque et idololatræ inopina catastrophe hac erubescere, et Christiani certatim exullavere, Deoque grates egere, qui tot in gratiam Apostoli sui miracula patrasset. Quem Deo colloquentem cum Christiana pietas cruce deponere pararet, ille consummato etiam feliciter agone spiritum reddidit suo Creatori, populusque terræmotus metu liberatus. *Ibid.*, 1 maii.

S. Jacobus Minor (sic dictus, quia serius quam Jacobus Major ad Apostolatam vocatus fuerat) Apostolus, cum suam de Christo sententiam dicere coram populo iussus, pinnaculum templi conscendisset, et Christum Dei Filium Mundi Redemptorem et Judicem libere predicasset, sacerdotes Judæi rugentium instar leonum circumspectantes, denique lapides sustulere, Apostolum, nisi populi viam veritatis fuissent, lapidaturi. Hinc altum vociferati: Audistisne, inquam, etiam justum hallucinatum? Nec mora, furore victi virum sanctum violenter correptum, ex alto præcipitem dedere. Hoc casu quamvis totum corpus graviter affectum sensit, injuriæ tamen omnis oblitus, memorque charitatis illius, qua Dominus in cruce pro suis hostibus eterno Patri supplex fuit, duplices in cælum palmas, ad Deum cor sustulit, et utrumque popitem

submit, totisque hostium amore succensus his Numen verbis placare studuit: « Domine, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. » Nihil placavit immittens animos tanta verborum comitas, quæ vel ipsas feras quamvis efferas cicurare potuisset. Itaque scelere scelus cumulantem plagas addidit, et eorum quidam caput ejus immani vecte sic contudit ut omne cerebrum diffunderet. Adeoque fortissimo consummatus martyrio sanctissimam in Dei manus animam edidit, cum triginta totis annis suam rexisset Ecclesiam, ut memorat S. Hieronymus. Anno Imperii Neronis septimo decessit. *Ibid.* 1 maii.

S. Bartholomæus Apostolus cum S. Matthæi Evangelium a se conversum in Indiam deportasset, et Indis prædicasset, non tulit orcus Christianam religionem, Deique gloriam tot incrementis augeri. Quamobrem sacrificulos idolorum concitavit ad vindictam ex S. Bartholomæo repetendam, utpote qui sana atque altaria eorum destruxisset, deorum cultum minuisset, eorum familias exhausisset, quæstumque ministeriis eorum debitum prorsus avertisset. Inflammavere sacrificuli Astyagem Regis Polemonis fratrem, alterius provincie dominum, ut in acitum ad se Bartholomæum animadverteret. Qui familiariter aliquandiu Bartholomæo collocutus, postea et sacrificulorum et Apostoli sermonibus, magis etiam, quod Apostolus præcipuum idolum affatus, in terram dicto dejecisset, contrivissetque, commotus exarsit, moxque ferreis excerptum virgis, excoctumque jussit obruncari. Christiana pietas et ipse Rex Polemon sublatum corpus ejus solemniter humarunt, et Rex Astyages, cum suis sacrificulis Apostolicæ necis auctoribus ab infessore Diabolo dire tortus vitam miserabiliter abruptit, mortemque in ore cepit sempiternam. *Ibid.* 22 aug.

S. Thomas, cum Sagamum Regni Indorum dominicum cum multis aliis ad Christianam veritatem amplectendam adduxisset, Brachmanes et idolorum sacrificuli in eum crudeliter exarserunt, et e medio tollere decreverunt, rati eo vivo, nec se, nec deos suos pristinam auctoritatem retenturos; unde cum aliquando Apostolus degeret in spelæo quodam, dum ad crucem alienato a sensibus animo, Deum pro suo solemniter precaretur, telis primum ac lapidibus appetitus, dein ab uno a Brachmanibus lancea

transfossus occubuit. Venerandum corpus ejus inde sublatum a discipulis in templo, quod ipsemet edificarat, conditum est, additumque Martyrii nomine et memoria causa, fragmentum haste, quæ costis inhaerarat, et baculus præferratus, quo ille ad peregrinationes utebatur, et urna feticilis cespite infarto, nempe manantem ex sacris vulneribus cruorem eberbat. *Ibid.* 21 dec.

S. Matthæus cum Iphigeniæ unice Regis Ægypti filiæ virginitatem persuasisset, Hirtacus Ægyptis successor, qui eam in sponsam assumere volebat, ita exarsit, ut sanctum Apostolum sub ipsa Missa in altari lancea transfodi jusserit. Dein Iphigeniæ suas in nuptias ut concederet persuadere conatus, ut actum se agere, ipsamque virginei propositi tenacissimam durare sensit, jussit monasterium inflammari, sed visus in aere S. Matthæus, qui flammam extinxit, et ne latius incendium serperet, opportune cavit. Porro sacrilegus Hirtacus a Deo lepra tam deformi punitus est, ut vim sibi suis ipse manibus atulerit. *Ibid.* 21 sept.

S. Simon Cananæus (sic dictus ut à S. Petro, qui similiter Simon vocatus est, distingueretur) et Judas Thaddæus sive Lebæus (sic dictus, ut a Juda Iscariote distingueretur) cum fidem plurimum propagassent, Babylone digressi, diversis in Provinciis regni Evangelium predicarunt. Ingressi quamdam principalem civitatem, Stamir, reperere Magos illos Zaroe et Arphano, qui Pontifices et deorum sacrificulos inflammarent adversus Apostolos, tamquam fanorum subversores. Tantumque obreccationes eorum, fraudesque valuerunt, ut ab iis sic inflammatis in vincula dati sint. Ductus est Simon ad fanum Solis, et Thaddæus ad Lunæ, quo scilicet hos adorarent. Illis Deum præcantibus idola prorrerunt, et in frusta conciderunt, provalantibus inde demonibus Maurorum specie, et horrendum vociferantibus. Ad hæc sacrificuli adeo exarserunt, ut incredibili furore in vasos occiderint. Erat tunc prorsus in nube cælum, quod protinus obrumbilatum, terribilibusque fulgoribus coruscum, tonitruisque metuendum, cum eta profana falsorum deorum fana fulminavit, evertitque, et paganorum quam plurimos, atque in his geminos illos magos extinxit, bustaque ipsorum in cineres dissolvit. *Ibid.* 28 oct.

S. Mathias, cum Judæam, quæ ei forte obtigerat, et ex qua copiosos retulit mani-

pulos, peragrasset, et in Æthiopiam venisset, multas gravesque perpressus est ærumnas regionibus prorsus asperis, invidis, inhospitis, plures tamen et atrociores a Judæis, et idololatris toleravit gentibus, a quibus denique lapidibus obrutus, etiam Christi causa obruncatus, decessit anno Christiano sexagesimo, Imperatore Nerone Augusto. Sacrum S. Mathiæ corpus postea Romam translatum ad S. Mariæ Majoris est conditum, ubi caput ejus hodieque populo spectandum venerandumque proponitur. *Ibid.* 24 feb.

De S. Joannis Baptiste martyrio sic scribit S. Matthæus: Hærodes autem tenuit Joannem, et alligavit eum, et posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui. Dicebat enim illi Joannes: « Non licet tibi habere eam. » Et volens illum occidere, timuit populum: quia sicut prophetam eum habebant. Die autem natalis Herodis sallavit filia in medio, et placuit Herodi. Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo. At illa præmonita a matre sua: da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptiste. Et contristatus est Rex: propter juramentum autem, et eos, qui pariter recumbebant, jussit dari. Misitque et decollavit Joannem in carcere. Et allatum est caput ejus in disco, et datum est puellæ, et attulit matri suæ. Et accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud. *MATT. c. xiv.*

De Sancti Stephani martyrio Sanctus Lucas sic scribit: Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de Synagoga, que appellatur Libertinorum, et Cyrenensium et Alexandrinorum, et eorum, qui erant a Cilicia et Asia disputantes cum Stephano: et non poterant resistere sapientiæ et spiritui, qui loquebatur. Tunc summiserunt viros, qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemie in Moysen, et in Deum. Commoverunt itaque plebem et Seniores, et Scribas, et concurrentes rapuerunt eum, et adduxerunt in concilium. Et statuerunt falsos testes, qui dicerent: homo iste non cessat loqui verba adversus locum Sanctum, et legem. Audivimus enim eum dicentem: Quoniam Jesus Nazareus hic destruet locum istum, et mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses. Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus, tamquam fa-

ciem Angeli. Cumque ad eos ulterius dixisset : Dura cervicæ, et incircumcisus cordibus, et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita et vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænantabant de adventu justis, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis; qui accepistis legem in dispositione Angelorum, et non custodistis. Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum. Cum autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei, et ait : Ecce video cæcos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei. Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum; et ejicientes eum extra civitatem lapidabant, et testes deposuerunt vestimenta sua, secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus, et lapidabant Stephanum invocantem et dicentem : « Domine Jesu, suscipe spiritum meum. » Positis autem genibus clamavit voce magna, dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. » Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino.

Singulariter gloriosum fuit sancti Laurentii martyrium, quod Ribadeneira sic describit : Secundum hæc ab imperatore Valeriano ad tribunal sanctus Levita duci jussus, quod ut Hippolyto jam Christiano fuit ei significatum, vir sanctus totus hilaris ei respondit : « Eamus, et mihi enim, et tibi gloria paratur. » Tyrannus, ut in conspectum venit, martyrem et sacros Ecclesiæ thesauros poposcit, cui Laurentius divina sapientia instructus respondit : « Da mihi bidui aut tridui inducias, et proferam tibi thesauros. » Arrisit Valeriano pactum, addiditque individuum ei comitem Hippolytum. Lætus hæc tridui inducias Laurentius, congratulante cæcis, claudis, et quoscumque habere potuit, pauperibus,isque in camelis et curru ab imperatore submissos (ut auctor est Metaphrastes) quo thesauros promissos adveheret impositis, accessit ad imperatorem, dixitque : « Ecce isti sunt thesauri Ecclesiæ. » Nam quemadmodum sanctus Ambrosius : « Vere thesauri, in quibus Christus est, in quibus Christi fides est; quorum manibus eleemosynæ nostræ cælum penetrant, et nos thesauris potimur æternis. » Incredibile memoratu est, quam tyrannus exarserit, ut se vidit a Laurentio

deceptum, suaque spe frustratum; jussit et vestigio suis sanctum Levitam vestibus nudatum lacinari. Quin ut et majore martyrem terrore percelleret, omnia curavit afferri instrumenta, quibus martyres torquerentur, quo scilicet intelligeret, nisi suis annueret placitis, hæc omnia ipsi experienda. Verum enimvero nihil hoc terribilium tormentorum spectaculo Martyr expavit, utpote ejus totum cor amore divino flagraret adeo, ut omnia penarum genera, quæcumque possent infligi, pauciora viderentur et suaviora quam cuperet ipse tolerare. Existimas, o miser, hæc me territare tormentis; sed scias velim, hæc quidem tibi tormenta, mihi delicias videri; sed neque perinde mihi quidquam fuit in votis, quam huic mensæ acumbere, atque hæc delicias saginari. Hinc vinculis onustus in palatium ductus, a quo cum tyrannus thesauros exegisset, et idolis eum sacrificare jussisset, et ne thesauris, quos absconditos haberet (utpote quibus a tormentis jam preparatis liberari nequiret) consideret, monuisset, sanctus Levita sedatim, modestè respondit : Ego vero confido thesauris cælestibus divinæ scilicet misericordiæ et bonitati, qua dummodo liberetur anima, corpus licet sua patiatur tormenta. Itaque virgis cæsus in sublime suspensus, et secundum latera ferreis laminis ustulatus, Martyr, partim Tyrannum risit, et cruciatum illatos se sentire negavit; partim meritis Deo grates egit, dixitque : « Domine Jesu Christe, Deus de Deo, miserere mihi servo tuo, quia accusatus non te negavi, interrogatus te Dominum Jesum Christum confessus sum. » Porro quanto majorem patientiam, lætitiæque vultu Martyr exhibuit, tanto crudelius Tyrannus exarsit, divinamque gratiam magicis incantamentis tribuens, eidem dixit : « Scio illudere te tormenta arte magica, sed mihi non illudes. Testor deos; disque aut sacrificabis, aut diversis te penis interficiam. » Martyr ad hæc totus impavidus invictusque respondit : « Ego in nomine Domini nostri Jesu Christi non reformido tormenta tua, quæ sunt ad fempus. Fac, quod facis, noli cessare. » Tum vero Tyrannus immani furore percitus, eum tam dire plumbatis cædi jussit, ut velut in mortario confusus videretur. Quam ob rem Laurentius Deum precatus est, ut suscipere spiritum suum dignaretur. Audita de cælo vox hæc : « Adhuc multa certamina tibi

debeantur. » Quod oraculum et ab omnibus fuit exauditum circumstantibus, et ipso quoque Judice, qui multo etiam efferrator exclamavit : « Viri Romani, audistis ut dæmones solentur sacrilegum, qui nec deos nec principes vestros timet, nec exquisita tormenta formidat? Extendite eum, et scorpionibus flagellate. » Sed hosce cruciatum Martyr invicta virtute perpessus, Deo gratias egit in hæc verba : « Benedictus es, Domine Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui nobis immerentibus impendisti misericordiam tuam. Et tu, Domine, propter pietatem tuam largire nobis gratiam tuam, ut cognosce circumstantes, quod tu consoleris servos tuos. » Secundum hæc Angelus cælo demissus, a quo Laurentius suis in tormentis recrearetur, corroboraretur, et sudore, suoque cruore perfusus abstergeretur. Vidit hunc cælestem Ephebum adeo in fovendo Martyre officiosum quidam militum, qui divina luce collustratus petiit a S. Laurentio baptizari. Baptismate ablutus, etiam martyrii laurea politus est. Tyrannus porro non contentus diris adeo cruciatibus Laurentium afflixisse, sed suam demum rabiem expleturus, eo cruciatum solidam rursus noctem exigere decrevit. Quam ob rem jussit ad tribunal omne tormentorum genus, quibus Martyres cruciari solebant, afferri, quo scilicet hæc omnia in sancto Levita, qui totus jam dilaniatus erat, experiretur. Itaque cum dirus Judex tribunal occupasset, interrogavit Laurentium ejus esset? Qui Laurentius : « Quod ad genus, inquit, attinet, Hispanus sum; Romæ autem nutritus et eruditus, atque a cunabulis Christianus, doctus omnem legem sanctam et divinam. » Et Judex : « Revera divinam, inquit, quia nec deos cogitas, nec tormenta formidas. » Cui Laurentius : « In nomine Domini nostri Jesu Christi tormenta tua non timeo. » Et Judex : « Sacrifica, inquit, diis, alioquin isthæc tuis supplicii non expendetur. » Cui Martyr : « Nox mea obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt. » Denique ferreo Tyrannus lectum craticulæ instar formatum, virique capacem afferri, lentisque ignibus jussit inflammari, quo scilicet paulatim ustularetur, et mors esset eo atrocior, quo prolixior. Nec mora, fuit apparatus a licetibus hic lectus, deinde subjectis prunis accensus. Hinc sanctus Levita suis furiose vestibus nudatus est, expositumque omnium

oculis illud sacrum corpus, totum prioribus cruciatibus lividum, cruentumque, atque in craticulam dejectum crudeliter extendere. Astabat præsens huic spectaculo Tyrannus, ardentibus oculis, vultuque irato terribiliter rugiebat, et rabidas ore spumas agebat; licetores ignium fomenta craticulæ suggerabant; circumstantes suspensi, attonitique hærebant, cœlestis hoc spectaculo gaudebant; Laurentii cor pietatis et amoris affectibus ardebat identidem Domino in hæc verba colloquentis : « Suscipe, Domine, hoc sacrificium in odorem suavitatis. » Et Deus, qui fidelis est, suum militem corroboravit, sicut violentiæ Tyranni divina virtus, et tenera Martyris caro crudeli tormento, et vita morti collectata, denique contra stygem fide Jesu Christi triumpharet. Non videbatur ferreo Laurentius lecto, sed olorina depositus pluma, deliciis omnibus circumfluere. Nam constanter ad Tyrannum conversus : « Ecce miser, inquit, assasti unam partem, versa et manduca. » Cæterum cum jam supra vitam meta Martyr propius adesset, et ad accipiendam cælestis gloriæ coronam sese a Domino mox sentiret evocandum, ad eundem conversus dixit : « Gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, quod merui januas tuas ingredi. » Ita dicere, et vivere desiit, victricemque animam digne coronandam emisit in cælum, ubi majore cum gloriæ splendore nunc fulget, quam flammæ, quibus olim sacrum ejus corpus arsit. RIBADEN, 20 Aug.

S. Barnabas apostolici vir pectoris, postquam plurimas Provincias peragrasset, tandemque catholicam late propagasset, tandemque mortalitatis vitæ pertæsus cælestisque desiderio beatitudinis accensus, adit Synagogam, ubi paratum sibi norat edictum; cumque validis omnino rationibus convictisset, Christum verissimum esse Messiam, tot votum oraculis prædictum, omnes Hebræi rabido in illum furoris conciti, violentas ei manus attulere, direque cruciatum lapidibus obruere. Ita vir sanctus corporeis nexibus absolutis ad Deum subvolavit, qui sacras ejus exuvias quamvis in ignes ab hebræa impietate conjectas, nec ustulari, nec ullo modo aboleri. RIBADEN, 9 jun.

S. Clementis Papæ martyrium Ribadeneira sic describit : inter ea valde christianorum numerus predicatione agebat. Quod ut Trajanus vulgante fama didicisset, exarsit, et eo præsidem Audianum misit,

qui Christianorum stragem edidit, variisque cruciatum generibus e medio sustulit. Sed ut omnes in vera fide constantissimos sensit, magnaue in mortem lætitia rueret certatim vidit, ratus melius se facturum, si multitudinī parceret, et caput omnium, magistrumque Clementem tolleret, eum ad se protinus accivit. Quem ut veritatis tenacissimum sensit, nec ullis a Christo modis avelli posse cognovit, jussit eum in altum evertum, anchora collo ejus alligata, demergi, ne forte tanquam Deus a Christianis colebatur. Ingens exortus est Christianorum moror et clamor, simul ut intellexerit in S. Papam mortis esse sententiam pronuntiavit. Ipse namque erat eis Pater, Magister, Frater, fidusque amicus, et in urbe adeo ærumnosa commune omnium præsidium: cum morentibus etiam ipse S. Pontifex morēbat, et cum flentibus flebat, eorumque vicem miseram miseratus, quoad licuit amanter, consolatus est. Cumque jam alto demergendus esset, populus qui spectator adstabat in littore, altum vociferatus: « Salva, inquit, eum Deus Jesu Christi. » Et sanctus Clemens ait: « Suscipe, Pater æterne, spiritum meum. » Sic alto demersus martyrii laurea potitus est. Adeant huic spectaculo duo sancti Clementis discipuli, Cornelius et Phœbus, qui ad populum conversi dixerunt: « Omnes oremus unanimes, ut ostendat nobis Dominus sancti Martyris sui corpus: » ita comprecantibus ad tria passuum millia sese mare pandit, ut tuto poterint incedere vestigio, haud aliter, ac si aridam calcarent. Porro progressi (o omnipotens Deus miraculorum patrator, tuorum sanctorum honorator!) reperere sacellum manibus Angelorum constructum, in eoque arcam lapideam, qua conditum erat sancti Clementis corpus, poneque illud anchora deposita, quæ fuerat ejus alligata collo. Neque is annus solus, quo decessit, hoc miraculo fuit insignis, sed quotannis idem quoque miraculum fuit patratum, pelago, quemadmodum diximus, ad tria passuum millia recedente, sic ut diebus omnino septem numeratis ab ejus martyrio Christiani siccō plane vestigio ejus tumulum possent invisere. *Inv.*, 23 nov.

Sanctus Polycarpus episcopus Smyrnen-sis debilis, ita jam ætate, cum lictores ad eum comprehendendum jussos domum, in qua latebat, ingressos esse comperisset, licet potuisset eos postico egressus fallere, in

eodem tamen vestigio hæsit, mox oculis in cœlum defixis cum dixisset: « Domine, fiat voluntas tua, » per scalas descendit, venientibus velut amicis, obviam processit, officioseque exceptos ad lautum convivium invitavit, magnaue vultus hilaritate ac majestate supplex eos oravit, uthorulam, qua se Deo commendaret, indulgerent. Illi alacres oblato acenbure convivio, nec Sanctus præsul interim sibi defuit; sed etiam ipse divino Eucharistiæ epulo ad imminetentem luctam sese roboravit. Mire lictores affecit ea, quæ splendebat in venerando Polycarpi vultu serenitas, mire cepit eos non verborum tantummodo comitas, et beneficiorum, quæ percipiebant ab eo, liberalitas, eoque suæ missionis pertæsi invicem dixerunt: Ergone ad hunc optimum senem tam nivea venerabilem canitie capiendum nos missi? Itane pileo dignissimus duplici velut hic ad necem depositus? Sicine hujus militis Nestoris vitæ, tot, tamque anxie tenduntur insidiæ? At tamen quod imperatorum jussum urgeret, arreptum sanctum Præsulem, jumentoque impositum in urbem deduxerunt. Ubi cum post blanditias varias adhibitas, cum proconsul varias minas, et specialiter ignis tormentum intentaret, respondit: « Equidem nihil hoc igne, quo corpus terretur, terreor, quia momento finit. Ille me terret ignis, qui sola definitur æternitate; illas ego solas horresco flammam, quas perpetua in iis viventium, gementiumque mors pascit. Denique quid quæris? tuas ego minas flocci pendo; acerse bestias, accende flammam, ecce me; præsto sum, vel his pabulum, vel illis præda non invita. Nullius ambigere; experire me vel Androdum, vel Scævolam, hoc fortiorum, illo feliciorum. » Ista sanctus Præsul ita comiter, ita graviter dixit, ut proconsul, quamvis gravissime commotus, tamen in eo miram frontis serenitatem, temperatamque comitate gravitatem mire suspexerit. Verum enim vero, ne quid Christianæ religioni detulisse videretur, jussit illic in theatro præconem stentoream ad populum voce proclamare, Polycarpum esse Christianum. Tum vero populus insanis suclamare vocibus: « Tolle, tolle de medio hostem deorum, magistrum magorum; ardeat ignibus infamis veneficus. » Mox undique ligatum dilapsi suis humeris, vel plaustris fraxinos, pinus, ornos ac robora conveclavere. Ad hæc sanctus Præsul, nihil gelida tardatus se-

necta, sed totus impiger ad martyrium se comparare, cingulum solvere, tunicam diffibulare, amictumque sibi diripere, et ad flammam, perinde ut ad epulas, anhelare. Interim licitorum sex Martyrem circumdare, catenas, ac nexus expedire, certatim in innoctam hostiam fremere, eamque ferratis velle clavis ad postem depangere, ne videret in incendio sese commoveret, ac subduceret. Quod ut Martyr advertit: « Quæso vos, inquit, ne me vel nervis adstringite, vel clavis affigite; nec enim flammam timeo, quin imo mediis in ignibus quavis statua immobiliorum me fore cum Deo spondeo. » Dictum, factum. Conjectus in ignem sanctus Præsul holocaustum sese Deo consecravit, in hæc eum verba præcatus: « Suscipe æterne Pater in holocaustum, victimamque hanc vitam, quam delisti, libens, volens reddo. Tu Dominus totius universi; tu Pater Domini nostri Jesu Christi, quo Doctore mysteria tua didicimus, quo magistro te nosse cepimus, qui se tibi fecit in ara crucis. Hujus ego memor sacrificii me quotidie tibi victimo in confessione veræ fidei. Cadat hæc victima ad majorem tuam, tuique Filii gloriam. Equidem immortales tibi debeo gratias, quod me tuorum Martyrum alio adscribere dignatus es, eoque te, Pater, laudo, te prædico, te veneror, te cernuus adoro per Jesum Christum Filium tuum, Pontificem optimum maximum, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, qui tecum et sancto Spiritu vivit et regnat in sæcula sæculorum. » DIXIT, moxque pyram licitorum subjectis ignibus inflammavit. Cæterum ut intelligeret circumstantium impietas omnia creata divino parere nutui, ingens incendium Martyrem præstitit illisum. Quin, et cum flamma nautici instar veli secundum favoniis inflati ventilata circumluderet, visi sunt Martyris artus (ut alias amat ejusmodi busta) nec olere, nec gravi nidore auram corrumpere, sed, ut in ardenti camino aurum, miro splendore radiare, odoreque arabicos spirare. Obstupuit miraculo circumstantium impietas, imméritoque indignata, quem necare nequiverat incendio, tollere gladio decrevit. Propius ergo licitor accessit, ferroque sancti Martyris latus hausit. Luculenta plaga tantum sanguinis fudit, ut eo protinus incendium restingeretur. Mox reserato corporis ergastulo victor in cœlum spiritus evolavit. *Inv.*, 23 jan.

Sanctus Vincentius Oscæ in Hispania natus a prima ætate studii deditus, sacras literas a Valerio Cæsaragustano Episcopo didicit; cujus etiam partes suscepit prædicandi Evangelium, quod Episcopus, propter linguæ impedimentum prædicationis officio fungi non poterat. Ea re ad Dacianum, provinciam a Diocletiano et Maximiano præpositum, delata, Vincentius Cæsar augustæ comprehenditur, et vincus ad Dacianum Valentiam adducitur. Ubi verberibus et equole tortus, multis præsentibus, cum nulla aut tormentorum vi, aut acerbitate, vel lenitate verborum a proposito deterreri posset, in craticula impositus, prunis ardentibus suppeditis ac ferreis unguibus excarnificatus, candentibus laminis exustus, iterum ducitur in carcerem stratus testaceis fragmentis, ut ejus nudum corpus, somno oppressum, a subjectis etiam testarum aculeis torqueretur. Verum illo in tenebrosâ incluso custodia, clarissimum splendor obortus totum carcerem illustravit, quæ lux cum summa admiratione omnes, qui aderant, affecisset, res a custode carceris ad Dacianum defertur. Qui eductum in molli culcitra collocat: et quem cruciatibus in suam sententiam trahere non poterat, deliciis perducere conatur. Sed invictus Vincentii animus, Jesu Christi fide speque munitus vicit omnia, et ignis, ferri, tortorum immanitate superata, victor ad cælestem martyrii coronam advolvit undecimo Kalendas Februarii. Cujus corpus cum projectum esset inhumatum, corvus et a volucris et a lupo, unguibus, rostro, alis mirabiliter defendit. Quare, re cognita, Dacianus illud in altum mare demergi jubet, sed inde etiam divinitus ejectum ad littus Christiani sepeliunt. 23 jan.

Sancti Joannes et Paulus fratres Romani, cum facultatibus a Constantia Constantini filia, cui pie fideliterque servierant, sibi relicti, Christi pauperes alerent, a Juliano Apostata in numerum familiarium suorum invitati, libere negaverunt se apud eum esse velle, qui a Jesu Christo defecisset. Quibus ille ad deliberandum decem dies præsinat, ut nisi ad eam diem ei adhærere, et Jovi sacrificare constituerint, sibi moriendum esse certo sciant. Illi intra hoc tempus bona sua distribuerunt pauperibus, quo expeditiones ad Dominum migrare possent, et plures juvarent, a quibus in æterna tabernacula reciperentur. Die decima Terentianus prætoris cohortis Præfectus, ad eos missus

cum allata Jovis effigie, ut eam venerarentur, Imperatoris mandatum eis exponit, ut nisi Jovi cultum exhibeant, moriantur. Qui ut erant astantes, responderunt, se pro Christi fide, quem Deum mente et ore venerabant, non dubitantur mortem subituros. At Terentianus veritus ne, si publice interficerentur, populus commoveretur, domi, ubi erant, abscissis eorum capitibus sexto Kalendas Julii, secreto eos sepeliendos curavit: rumoremque sparsit, Joannem et Paulum in exilium ejectos esse. Verum eorum mors a spiritibus immundis, qui multorum corpora vexabant, perulgata est. In quibus Terentiani filius et ipse oppressus a demone, ad sepulchrum Martyrum perductus, liberatus et is in Christum crediderit; et ejus pater Terentianus, a quo etiam horum beatorum Martyrum vita scripta esse dicitur. *Ibid.*, 22 jan.

SS. Cosmas et Damianus fratres, Arabes, in Ægea urbe nati, nobiles medici, Imperatoribus Diocletiano et Maximiano, non magis medicinæ scientia, quam Christi virtute, morbis etiam insanabilibus medebantur, Quorum religionem cum Lysias Præfectus cognovisset, adduci eos ad se jubet: ac de vivendi instituto, et de fidei professione interrogatos, cum se et Christianos esse, et Christianam fidem esse ad salutem necessariam libere prædicarent, deos venerari imperat, et si id recusent, minatur cruciatus, et necem acerbissimam. Verum ut se frustra hæc illis proponere intelligit: Colligate, inquit, manus et pedes istorum, eosque exquisitis torquete supplicis. Quibus jussa exsequentibus, nihilominus Cosmas et Damianus in sententia persistebant. Quare, ut erant vincti, in profundum mare jaciuntur, unde cum salvi et soluti essent egressi, magicis artibus Præfectus factum assignans, in carcerem tradit, ac postridie eductus, in ardentem rogam injici jubet; ubi cum ab ipsis flamma refugeret, varie et crudeliter tortos securi percuti voluit. Itaque in Jesu Christi confessione martyrii palmam accepert. *Ibid.*, 27 sept.

SS. Gervasius et Protasius, Vitalis et Valeriae filii, quorum pater Ravennæ, mater Mediolani, pro Christi Domini fide martyrium subierunt, distributo pauperibus patrimonio, domesticos servos libertate donarunt. Quo facto, Gentilium Sacerdotes immane in illos conceptum odium habebant. Quare cum Astasius Comes in bellum pro-

ficisci vellet, hanc occasionem perpendi pios fratres se nactos esse putaverunt. Itaque Astasio persuadent, se a diis admonitos esse nullo modo eum victorem futurum, nisi Gervasio et Protasio coactis Christum negare eosdem ad sacra diis faciendâ compelleret. Quod cum illi detestarentur, Astasius imperavit Gervasium tandiu cædi, dum inter verbera expiraret: Protasium fustibus contusum securi percuti jubet. Quorum corpora Philippus Christi servus clam sustulit, et in suis adibus sepelivit; quæ postea S. Ambrosius Dei monitu inventa, in loco sacro et insigni collocanda curavit. Passi sunt Mediolani decimo tertio Kalendas Julii. *Ibid.*, 19 jun.

S. Hermenegildus Rex Leovigildi filius, cum pater Arianus ipsum ad eandem hæresim, qua blanditiis, qua minis perducere conatus fuisset, constantissime respondit, nunquam se veram fidem posse relinquere quæ semel agnovisset: iratus pater eum privavit regno, rebusque expoliavit omnibus. Cumque nec sic virtutem mentis illius emollire valuisset, in arcta illum custodia concludens, collum, manusque illius ferro ligavit. Cœpit itaque Hermenegildus Rex juvenis terrenum regnum despiciere, et forti desiderio caeleste quaerens, in cilicis vinculatus jacens, omnipotenti Deo, ad confortandum se preces effundere; tantoque sublimius gloriam transeuntis mundi despiciere, quanto et religatus agnoverat nihil fuisse, quod potuerit auferri. Superveniente autem Paschalis festivitatis die, intempeste noctis silentio ad eum perfidus pater Arianus Episcopum misit, ut ex ejus manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus Ariano Episcopo venientis exprobravit, ut debuit, ejusque a se perfidiam dignis inreparationibus repulit, quia, etsi exterius jacebat ligatus, apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus. Ad se itaque reverso Episcopo, Arianus pater infremuit, statimque suos apparatus misit, qui constantissimum Confessorem Dei illic, ubi jacebat, occiderent: quod et factum est. Nam mox, ut ingressi sunt, securim cerebro ejus infligentes, vitam corporis abstulerunt. *Ibid.*, 23 april.

S. Thomas Cantuariensis Episcopus cum Henrici octavi Regis Angliæ impiis decretis tam fortiter resisteret, ut propterea sæpius conquereretur Rex, se in suo regno cum uno

Sacerdote pacem habere non posse, ex ea Regis voce nefarii satellites sperantes gratum se Regi facturos, si Thomam e medio tollerent, clam convenientes Cantuariam, Episcopum in templo vespertinis horis operam dantem aggrediuntur. Qui clericis templi aditus præcludere conantibus accurrentium ostium aperuit, illis usus verbis ad suos: Non est Dei Ecclesia custodienda more castrorum: et ego pro Ecclesia Dei libenter mortem subibo. Tum ad milites: Vos Dei jussu cavete, ne cupiam meorum nocentis. Deinde flexis genibus, Deo, beatæ Mariæ, Sancto Dionysio, et reliquis Sanctis ejus Ecclesiæ Patronis, Ecclesiam et se ipsum commendans, sacrum caput eadem constantia, qua iniquissimi Regis legibus resisterat, impio ferro præcidendum obtulit quarto Kalendas Januarii anno Domini millesimo centesimo septuagesimo primo: cujus cerebro septem est totius templi pavementum. *Ibid.*, 20 dec.

Sanctus Dionysius Areopagita Atheniensis Ecclesiæ Episcopus erat, cum a Clemente Pontifice in Galliam prædicandi Evangelii gratia missus fuit. Quem Lutetiam usque Parisiorum Rusticus presbyter, et Eleutherius diaconus persecuti sunt. Ibi a Fescennio præfecto, quod multos ad Christianam religionem convertisset, ipse cum sociis virginis casus est: cumque in prædicatione Christianæ fidei, constantissime perseveraret, in craticulam subjecto igne injicitur, multisque præterea supplicis una cum sociis cruciatur. Sed ea tormentorum genera omnibus forti ac libenti animo perferentibus, Dionysius annum agens supra centesimum, cum reliquis securi percutitur septimo Idus octobris. De quo illud memoriæ proditum est, abscissum suum caput abstulisse, et progressum ad duo millia passuum in manibus gestasse. *Ibid.*, 29 oct.

Sanctus Gregorius Nicomediæ natus, Diocletiani imperatoris cubicularius, Dorotheo collega suo adjutore, reliquos omnes cubicularii ministros ad Christi fidem perduxit. Uterque autem cum vidisset quodam die martyrem coram Diocletiano acerbissime cruciari, ejus exemplo martyrii amore incensus est. Itaque amborum hæc vox erupit: Quid est, imperator, quod hujus condemnata sententia, quæ nobis cum eo communis est, unum illum punis? Istius nostra etiam fides est, idem propositum. Eos igitur vinctos imperator flagellis concidi jubet, ut

toto corpore cutis dirumperetur, et in plagas acetum infundi sale permixtum; mox restinctis in craticula subijci imperat vim candentium carbonum; denique varie torti, suspendio necati sunt. *Ibid.*, 9 sept.

SS. Processus et Martinianus cum a SS. Apostolis Petro et Paulo conversi et baptizati essent, Paulinus præfectus militum, re cognita, Processum et Martinianum a suscepto consilio revocare conatur. Qui cum frustra tempus contereret, ipsorum ora saxo contundi dentes comminui jubet. Mox ad Jovis statuum adductos, cum eadem constantia veneratos se idola negarent, imperat equuleo torqueri, candentibus laminis ad eorum corpus admotis, ac cædi fustibus. Quibus in cruciatibus una hæc illorum vox audiebatur: « Sit nomen Domini benedictum. » Denique coniecti in carcerem, paulo post extra urbem via Aurelia securi feriuntur. *Ibid.*, 2 jul.

S. Januarius Beneventi episcopus, Diocletiano et Maximiano in Christianos sævientibus, ad Timotheum Campaniæ præsidem ob Christianæ fidei professionem Nolam perducitur. Ibi ejus constantia varie tentata, in ardentem fornacem coniectus, ita illasus evasit, ut, ne vestimentum, aut capillum quidem flamma violaverit. Hinc Præses accensus iracundia martyris corpus imperat usque eo distrahi, quoad nervorum compages artuumque solvantur. Postero die in amphitheatro feris objectus est, quæ naturalis oblitæ feritatis, ad Januarii pedes se prostraveret. Cum Timotheus in Christi sententiam pronuntiasset, oculis repente captus, orante mox beato Januario, lumen recepit: ut quo miraculo hominum millia fere quinque Christi fidem receperunt. Verum ingratus Iudex nihilo placior factus beneficio, sed conversione tantæ multitudinis actus in rabiem, veritus maxime principum decreta, sanctum episcopum cum sociis gladio percussit. *Ibid.*, 19 sept.

S. Eustachius postquam incredibiles calamitates mira patientia perpessus, et per varios casus jactatus, tandem a Trajano iterum conquisitus, militiae præfectus fuisset, paulo post, quam civitatem Romam victor omnium gratulatione ingressus fuisset, inanibus diis pro parta victoria sacrificare jussus, constantissime renuit. Cumque variis artibus ad Christi fidem ejurandam frustra tentaretur, una cum uxore et liberis leonibus obijcit. Horum mansuetudine

concitatus imperator, æneum in taurum subjectis flammis candentem eos inmitti iubet, ubi divinis in laudibus consummato martyrio duodecimo kalendas octobris ad sempiternam felicitatem convolarunt; quorum illasa corpora religiose fidelibus sepulta, postmodum ad Ecclesiam eorum nomine erectam honorifice translata sunt. *Ibid.* 20 sept.

SS. Chrysanthus et Daria conjuges, nobili genere nati, fide etiam clariores, quum Daria mariti opera baptismum susceperat, Romæ innumerabilem hominum multitudinem hæc mulierum, ille virorum ad Christum converterent. Quare Celerinus præfectus comprehensus tradidit Claudio tribuno: qui jussit a militibus Chrysanthum vincum cruciatibus torqueri: sed vincula omnia resoluta sunt: mox compedes, in quos coniectus fuerat, contracti. Deinde bovis corio inclussus, in ardentissimo sole constituitur; tum pedibus ac manibus catena constrictis, in obscuro carcerem detrudunt, ubi solitis catenis clarissima lux locum illustravit. Daria vero in lupanar compulsa leonis tutela, dum in oratione defixa est, a contumelia divinitus defensa est. Denique in arenariam, quæ est via Salaria, uterque ductus, effossa terra, lapidibus obruti, parem martyrii coronam adepti sunt. *Ibid.* 25 octob.

SS. Vitalis, et Agricola ejus dominus, in persecutione Diocletiani et Maximiani Bononiæ ob Jesu Christi prædicationem comprehensi sunt: cumque Vitalis, quo magis precibus et minis tentaretur, ut sententiam mutaret, eo magis se Christi cultorem, ac servum profiteretur, vario tormentorum genere cruciatus, constanter omnia perferens in oratione spiritum Deo reddidit. Agricola vero, cum ejus supplicium dilatatum esset, si forte tormentis servi permotus, Christo vellet renuntiare, ejus exemplo magis confirmatus est. Itaque cruci affixus, Vitali servo consors et socius fuit nobilis martyrii. *Ibid.* 4 nov.

S. Chysogonus, cum Diocletianus imperator Romam scripsisset, ut reliquis Christianis qui vinculis essent, interfectis, Chysogonus Aquileam ad se mitteretur, eo perductus est. Cui imperator: « Accersivi, inquit, te, Chysogone, ut honoribus ageam, si modo induxeris animum Deos colere. » At ille: « Ego eum, qui vere Deus est, mente et oratione veneror: deos autem, qui nihil sunt, nisi dæmonum simulacra, odi et

execror. » Quo responso excandescens imperator, ad aquas Gradatas eum securi percussit, octavo kalendas decembris: cuius corpus projectum in mare, paulo post in littore inventum, Zoilus presbyter in suis adibus sepelivit. *Ibid.* 18 oct.

S. Athenodorus inter duas columnas extensus, facibusque ac uncinis ferreis in nares infixis cruciatus, aliaque tormenta perpesus, cum ad ipsum capite plectendum nemo auderet accedere, eo quod carnifici manus cum gladio excidisset, ac ipse quoque mortuus concidisset, orans animam expiravit. *NADASI in Anno celesti, 7 dec.*

S. Daniel levita inter ferream, et ligneam tabulam, clavus confixus est, cuius corpus ubi lateret, cæcus ostendit, et lumen recipit. *Ibid.* 3 jan.

Sanctus Cæterius presbyter M. divina voce: « Ego tecum ero, » e latebriseductus, excisis novacula pedum ac manuum unguibus, talis ferro trajectis, succensa sartagine, liquato plumbo, ignita galea cruciatus, a Christo et Angelis recreatus, qui e perfosso latere aquam, tum sanguinem, denique animam edidit. *Ibid.* 8 jan.

S. Gemmulus truncatum caput cervici iterum imponens ad episcopum suum tulit. *Ibid.* 8 feb.

Sanctus Thelica M. unguis discerptus, ac tormentis aliis laniatus: « Deus, aiebat, miserere! gratias tibi ago: Domine, da mihi constantiam. Ad Dei gloriam. Gratias ago Deo regnorum. Apparet regnum æternum, regnum incorruptum. Deus sanctissime, Deus altissime. Deus omnipotens, tibi laudes pro nomine tuo agimus. Pro lege Dei morior; in ipsa consumo. Domine Jesu, tibi servimus, a te gratiam et misericordiam sempiternam expectamus. » *Ibid.* 11 feb.

S. Adelbertus Pragensis episcopus, cum post alias provincias fidei lumine illustratas, etiam in Prussiam venisset, vix ibidem impulsus mox allatæ lucis radios undique diffudit, et beatitudinem, vitamque perennem, qua se per Christum aliquando potituros Christiani sperant, eis explicavit. Sed illi nocturnum instar lucis impatientes, apostolicum sanctumque Evangelii Præconem probris affectum protinus abire jusserunt. Postea cum penitisset eos, quod abire scivissent illæsum, secuti profectum violenter eum, comitesque ex itinere retraxerunt; atque instar furum vinctos, et in apicem montis raptos sanctum præselem septem

confixum lanceis obruncarunt. *RIBADEN.* 23 april.

S. Severianus miles cum quadraginta martyres in carcere frequens visitaret, saxo ad pedes ligato suspensus, flagris laniatus, in tormentis spiritum reddidit. Cujus corpori impositum e floribus sertum aquila abstulit, et eo loco demisit, ubi Deus voluit ipsum sepeliri: cuius corpori eum obviam irent multi, etiam quidam e mortuis resurrexit, et obvoluit ivit; ac per quindecim annos deinde superstes ab ipsius sepulchro non decessit. *NADASI 9 sept.*

S. Ferreolus Tribunus tyranno aiebat, Deum servis suis per Jesum dare fiduciam moriendi et resurgendi spem; qui fatigatis pluribus eum cædendo tortoribus, postea sponte solutis ferreis vinculis, Rhodanum, succollantibus angelis, facile tranavit; et iterum capto sibi objectum, ad terrorem incutiendum S. Juliani M. caput, amplexu et osculo honoravit; tandemque capite truncatus, et sepultus multis post annis, una cum illo S. Juliani capite integro, integer est repperus. *Ibid.* 4 sept.

Sanctus Trophimus dirissime verberatus tormenta omnia delicias oculorum, et pro Christo fasum sanguinem divinum quoddam lavacrum esse, aiebat: disceptis deinde ad ipsa viscera lateribus, in ferreis clavatisque calcis incessit; et iterum nervis, sale ac aceto, lampadibus cruciatus, toto corpore unguibus disceptus, eruto candentibus obeliscis utroque oculo, Deo velut sacrificii totius primitias, lætus obtulit oculos, deinde et caput. *Ibid.* 19 sept.

Sanctus Chariton nervis cæsus, et mille pro Christo mortes subire paratus, moriens aiebat suis: « Nunc demum tempus adhuc est operandi; futura illa æterna esse. Sint vobis arma ad bellum, jejuniun, oratio, lacryma, memoria mortis, et gehennæ, et quod est omnium validissimum, et inimicis maxime terribile, beata humilitas, cautioque ne unquam vos prava occupent cogitationes ac observatio sensuum. » *Ibid.* 12 sept.

S. Colmanus e stirpe regia, pro Christo peregrinus, virgis, igne, forcipibus, ferra cruciatus, suspensus, multisque a Deo prodigijs honoratus est. *Ibid.* 13 octob.

S. Andreas Martyr corde ad Deum aspirante aiebat: « Domine serva! Domine dirige! » et in pericula media irruiit mortem querens: sacras imagines docte et sancte propugnavit; deinde flagellatus, ac bonum

nervis sæpius cæsus, gratias Deo agens, ligatis pedibus raptatus, pede altero amputato caelum ingressus est, factus postea dæmoniaco, et infirmis refugium sanctum. *Ibid.* 23 octob.

S. Varus mille loris cæsus, suorum precibus divinitus firmatus, unguis disceptus, discesso nodaculis ventre, effusus visceribus, fortissime obiit. *Ibid.* 19 oct.

S. Artemius dux Augustialis post magnos militiae honores, post atrocissimos pro Christo cruciatus, promissa ei a Christo æternitate, ab eodem statim sanatus; antequam gladio perenteretur, orans hæc e caelo, hisque plura audivit: « Audivit Dominus tuas preces, o Artemi; festina consummare cursum: accipe brevium paratum marec omnibus. »

S. Maximus martyrjum quærens, tentanti se tyranno aiebat: « Animam meam lucrabor: me ipsum offero sacrificium Deo meo vivo et vero. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. » Et post eguleum ac fustes, e sublimi loco præcepit dejectus, devota Deo Altissimi victima cecidit. *Ibid.*

S. Theodoros miles tyro, succeno matris Deorum fano, deos in cinerem redegit; et atrocissime cæsus, ad carcerem famemque perpetuam damnatus est. Sed ibi Christi Jesu et Angelorum frequentia lætus, dulcissima hæc solatia corde, ac ore lætissimo occultabat; neque oblatum panem atque aquam admittens, se a Christo Jesu ai aiebat: qui ab eodem Christo Jesu sibi conspecto audivit: « Confide, Theodore, ego enim tecum sum; erit tibi vita ab interitu aliena, et æterna mecum in caelis; » et postea cum candido angelorum exercitu psallere auditus est. Tandem unguis toto corpore laniatus, dum costæ ei nudarentur, lætus canebat: « Benedicam Dominum in omni tempore; » frontequo, oculis, pectore signo crucis munitis, in igne lætum Deo spiritum tradidit. *Ibid.* 2 nov.

S. Mennas miles diris flagellis, ferreis unguibus dilaceratus, aiebat: « Quis separabit a charitate Christi? » a Christo se didicisse, non timere eos, qui corpus occidunt, sed Deum qui etiam animam potest mittere in gehennam, postea lampadibus ustus, per ferreos murices humi tractatus, capite plexus est. *Ibid.* 2 nov.

L. Sancti Acisculus et Victoria Germani e camino ignis ab Angelo exempti, exiverunt

psallentes; in aquam cum facto dejecti, enatarunt, iterum psallentes, et vocem audiverunt Angelicam: « Non erunt irrita clientum nostrorum vota; » rotas igneas passi, illas orando disjectas in hostes ire viderunt; denique sagittis et gladio Martyres occubuerunt. *Ibid.* 17 nov.

Sanctus Gregorius Presbyter contusus maxillis, toto corpore nudus sustibus dilaceratus, quo super craticulam et ignem posito, exortus terræ motus quadragintos quinquaginta ethnicos oppressit et apparens ei postea in carcere Angelus Dei, vinculis ac tenebris dissipatis, pacem ei et constantiam precatus est; ac demum carduis ferreis in utroque genu percussus, et lampadibus totus exustus, ac decollatus, etiam post mortem feris veneracioni fuit. *Ibid.* 24 dec.

S. Mercurius miles custodientis ipsam Angeli visione monitus, de Persis victor, in carcere visitatus a Christo dicente: « Mercuri, quiesce, cursum consummasti, fidem servasti; accipe coronam tuæ decertationis. » Postea pro Christo decollatus, etiam post mortem cruentam Juliani Apostatæ, per eum extincti, sanguine hastam habere visus est illi, qui coram Mariæ Deiparæ ejusque imagine contra infelicem Julianum oravit. *Ibid.* 25 nov.

S. Papa Martyr verberibus, unguis ferreis, clavatis calceis cruciatus; deinde arbori alligatus, illam et sterili fructuosam moriendo fecit. *Ibid.* 16 mart.

S. Jonas flagris, glacie, præcis digitis cruciatus, et capitis cute abrasa, lingua evulsa, in picem ardentem detrusus, nec læsus; in cochlea totis ossibus contractus, per medium sectus Martyr. *Ibid.* 9 mart.

S. Barachisus frater, ardentibus glebis igneis, plumbo liquefacto in palpebras, et nares infuso, spinis, arundinibus laniatus, cochlea contractus, os bulliente pice repletus, fratrem ad gloriam subsecutus. *Ibid.*

S. Cyrillus Diaconus Martyr, cuius secur gustantes gentiles, dentibus amissis, putrefactis, et effluentibus linguis, ac oculis perierunt. *Ibid.*

S. Amphianus pro Christo dilaniatus, ac pedibus lino in oleum intincto, et incenso obvolvitur cruciatus, et in mare demersus. *Ibid.* 5 april.

SS. Terentius, Africanus, Pompeius et Maximus Martyres, in idola insufflaverunt, et ea, signo crucis edito, confregerunt, ac in pulverem redegerunt: quos fame et tor-

mentis in carcere cruciatus Angelus invisit, et dixit: « Servi Dei Altissimi, consurgite, et corpora vestra curate, quiescite, et cibum capite, quem vobis Christus misit; » et cadente Angeli opera ferro, liberi mense bene divinitus instructa, assederunt, relecti, atque a custodibus in splendore miro gaudentes inventi. Postridie vero unguis cruciati, tormenta nil senserunt; postea nec a feris in eos incitatis, lasi, conspecto et custodibus Angelo illas arcente, tandem gladio plexi fuerunt. *Ibid.* 2 april.

S. Eleutherius Episcopus æneæ, et copiose igne candentis grabati tormentum nil sensit, divina voluptate perfusus: oleo deinde ferventi infuso, et in sartagine pice ac adipe bulliente coctus, et semper integer, in carcere a columba pastus, etiam a feris honoratus, conversis hostium pluribus, una cum exultante Anthia, matre sua, jugulatus est. *Ibid.* 18 april.

S. Anthimus Episcopus, plurimis ad Christum conversis, lapidibus percussus, ferreis, et igne candentibus fibulis talos transfixus, super acutas restulas volutatus, virginis cæsus celesti voce invitabatur præmia æternitatis. Tum rotæ alligatus, versatus, ignitis lampadibus sensim exustus, post supplicia plura, et miracula, pluresque conversos, capite tandem plexus est exultans. *Ibid.* 27 april.

S. Anderlus spinosis fustibus cæsus, demum ense ligneo, capite in quatuor partes, in modum crucis conscisso, martyrium consummavit. *Ibid.* 4 maii.

Sanctus Acatius centurio verberatus, et maxillis contusus, pro constantia Deum orans, vocem e cælo audivit: « Acati, esto constans! » qui conversis plurimis, a splendide ornatis Angelis postea visitatus, solutus, sanatus, passus est. Tandem contritis dentibus, a decem hominibus virgibus quærens flagellatus, cum Jesum inclamaret, iterum vocem, quæ felix ei promittebatur æternitas, audivit. Accepta vero mortis sententia exultans exclamavit: « Quam multis te linguis, Christe, dux vitæ, laudare vellem, qui me tali sorte dignatus fuisti. » Ac demique, dato capite, promissam æternitatem ingressus est. *Ibid.* 8 maii.

S. Victor in digitis excruciat, a fornace ardente, in qua triduo jacuit et a veneno, quod bis bibit, illæsus: per triduum, prono in terram capite, suspensus, excæcatus, cute exustus, a S. Stephana, quæ duos e

cælo coronas ei, et sibi ferri videbat, animatus; tandem illa duabus arboribus alligata, et discerpta, ipse securi percussus, geminis illis coronis coronati sunt. *Ibid.* 24 maii.

S. Hospitius in altæ turris carcere, ferro et scaturientibus e corpore vermibus plenus, orabat semper, rigidam et obruncaturæ se barbari dexteram signo crucis sanavit, pluresque ad Christum adduxit; cui morituro vermes illi fuere solatio, et stimulo ad amorem Dei. Simul vero ut anima corpus deservit, simul evanescere etiam vermes. *Ibid.* 12 maii.

Sanctus Diaconus, quis, cujas, qualis esset, rogatus, nonnisi « Christianus sum, » respondit, et licet cruentatus totus, laminisque ignitis totus corpore tortus, pulchrior tamen apparuit, et cum S. Mauro neophyto, in ferreis, ignitisque cathedris frixus, una cum illo, caput pro Christo securi subjecti. *Ibid.* 2 jan.

Sancti Pergentinus et Laurentius semet invicem, ne præsentia, sed æterna tormenta timerent, hortabantur. Post jejuniun triduanum, in carcere, pane Angelico, in cælesti luce ab Angelis relecti, aperto licet divinitus carcere, fugere noluerunt; et post prunas ignitas illaso pede calcatas, plurimis ad Christum adductis, suavissimis e cælo vocibus, quibus ad mortem felicem invitabantur, auditis, illam læti gladio subierunt. *Ibid.* 3 jan.

S. Bonifacius Martyr post turpes cum Aglaide domina suâ, divite ac nobili, amores ab eadem caste ac religiose sapere didicit, et ab eadem, ad colligendas Martyrum reliquias, missus, illorum exemplis accensus, ideoque tentus, cum de nomine interrogaretur, respondit: « Primum mihi nomen, et quo maxime vocari gaudeo, est, Christianus. » Dum præceptis suspensus, carne ad ossa usque lacerata, defixis unguibus arundinibus cruciatus, oculos defigebat in cælum. Deinde fervente plumbo in os infuso, in bullientis pice lebetæ ab Angelo conservatus illæsus, aliis, qui adstant, effuso divinitus inde igne correptis, capite truncatus fudit sanguinem lacte mixtum. Cuius corpori, cum reportaretur, obviavit cum Clero Aglais, jam antea monita ab Angelo, sic loquente: « Suscipe eum, qui aliquando quidem fuit tuus famulus, nunc autem est frater noster et comminister, ac tuus Dominus, et eum pie honora, ut sit tuæ servator animæ et custos vitæ. » *Ibid.* 3 jun.

S. Primus fustibus, equuleo, lampadibus tortus, cantabat lætus: « Igne nos examinasti, sicut examinatur argentum; » et Deo Jesu benedicens, aiebat, se nil tormentorum sentire; bulliens plumbum illæsus hausit, et una cum Feliciano, a leonibus ac ursis nil læsus, conversis plurimis gladio cæsus est. *Ibid.* 9 jun.

S. Alexander S. Antoninam Virginem, ex infami loco, ut liberaret, sua illam in veste dimisit, ejus loco ipse mansit; postea una cum illa, præcis manuum ac pedum extremis, per horrenda supplicia, glorioso martyrio perfunctus. *Ibid.* 10 jun.

SS. Marcus et Marcellianus fratres ad stipitem alligati, ac in pedibus clavibus confixi, cum Christum cantando laudare non cessarent, ac nunquam se tam jucunde epulatos, ac in amore Christi fixos dicentem, lanceis per latera transfixi sunt. *Ibid.* 18 jun.

S. Athenogenes M. decem discipulis suis martyribus sibi præmissis, cum pro nobis suum, suorumque discipulorum nomina imploraturis, oraret, hanc e cælo vocem audivit: « Gaude, mi Athleta Athenogenes, mi electe, ecce dedi tibi tuas petitiones: Quicumque me invocaverit, pro nomen tuum, liberabitur ab omni afflictione et necessitate, et ejus peccatorum inducam oblivionem. » *Ibid.* 16 jul.

Sanct. Secundianus per sancta cum Sancto Marcelliano colloquia, per martyrum exempla conversus, accedente ad id querendum, quod æternum est, Veriano amico, omnes tres baptizati, fustibus cæsi, contrito divina vi dolo, in equuleum sublatis, unguis rasi, flammis torti, carnificæ uno morte repentina occidente, aliis a dæmone correptis, eosque sanctos clamantibus, capite cæsi sunt. *Ibid.* 9 aug.

S. Hippolytus pedibus ad colla indomitum equorum alligatus, per spineta, tribulos tractus, e lacrimo corpore animam integram exhalavit. *Ibid.* 23 aug.

Sanctus Quintinus Romanus Ordinis Senatorii, pro flagellis gratias Deo teneras agens, ab Angelo confirmatus, conversis multis, testicis ferreis cæsus, oleo, pice, adipe ferventi perfusus, facibus cruciatus est, et amara omnia sibi dulcia esse dixit. Denique sudibus ferreis transfixus, decem clavibus in decem digitorum unguibus adactis, invictus, orans, capite cæsus est, et anima sua columbæ instar e collo suo exire, ad cælum penetrare visa est, voxque simul

cælestis insonuit : « Quincine, famule meus, veni et coronam accipe, quam tibi pro tuis meritis præparavi. » *Ibid.* 31 octob.

Sanctus Cæsarius, ad cuius preces templum idolorum corruit, una cum S. Juliano sacco inclusus, mari est mersus, et Luxurius Proconsul eo die a colubro (ita ut ipse prædixerat) ad cor usque penetrante corrosus, dum animam ageret, vidit suum ac Juliani corpus a psallentibus Angelis e mari efferri. *Ibid.* 2 nov.

SS. Galation et Epistemis conjuges Virgines, ad videnda cælestia abducti, repositas capitibus duas coronas, viderunt, quas postea, conciso virgibus corpore, fixis sub ungue spinis, lingua, pedibus, manibus, capite pro Christo truncati, acceperunt : S. Galation, cuius matri se paritura quietem crucifixus : Sancta Epistemis per quietem fœminas pennis insignes, et igne undique plenas vidit. *Ibid.* 3 nov.

S. Jacobus intercisus, optatum primus in regis Persæ gratiam a Christo defecit, et matris ac uxoris sanctis oculis, artubusque ad Christum reversus, erimen lacrymis et sanguine diluit, quando pro Christo juncturis, et artibus quibusque membra tum relectis, ejusdem regis jussu capite obrunctus est. *Ibid.* 27 nov.

S. Mennas vir dignitate præcipuus Hermogenis jussu excoariatis pedum plantis, præcisa lingua, convulsis oculis, retrusus in carcerem, illie resplendente a cælesti luce carcere, Christi et Angelorum præsentia sanatus Hermogenem convertit, et una cum illo capite plexus, ab Angelis Bizantium navi devectus est. *Ibid.* 10 dec.

SS. Victorio et Fuscivo naves, et aures sudibus ferreis cruciatæ, clavis ardentibus transfixa tempora, evulsi oculi, et tandem jaculis expositi, amputato capite Martyres una cum Gentiano suo hospite facti sunt. *Ibid.*

S. Eustratius amplo officioposito repente Christianus, in aërem sublatus funibus, peccatus igne, corpus reliquum virgibus flagrisque, aceto, acutis restis laniatus, repente sanus et miro quodam decore perfusus apparuit ; deinde crepidis acutarum fibularum plenis indutus, et tractus, doctissime et Philosophis, philosophatus, exemplo et verbo multos convertit, et condito sancto de amplissimis opibus testamento, æternitatis viatico munitus, fornacem ardentem psallens ingressus, ibi in igne ne a pilo quidem læsus, orans occubuit. *Ibid.*, 13 dec.

S. Mardaris sanctæ simplicitatis vir ab Eustratio instructus, trajectis per terebratos pedum suorum calcaneos funibus, in rotas suspensus, nil aliud loquebatur, quam : « Christianus sum, sum Christi servus ; » et candentibus subulis ad mortem usque cruciatus est. *Ibid.*

SS. Justus et Abundius, ad quos in ignem coniectos, et illasos gladioque cœdendos vox venit : « Ascendite, et accipite coronas. Ecce aperti sunt vobis celi. Introite servi Dei, in habitaculum Patris vestri. Relinquit corpora. Venite ad regnum colorum super terram. » Et capite cæsi sunt.

Sanctus Ignatius Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum Apostolorum Episcopus Trajani persecutione ad bestias damnatus cum Romam victus mitteretur, et jam Smyrnam pervenisset, ad Romanos, qui fidem receperant, scribens, ait : De Syria usque Romam pugno cum bestiis in mari et in terra, nocte dieque ligatus cum decem leopardis, hoc est, militibus, qui me custodiunt ; quibus cum benefeceris peiores fiunt, iniquitas autem eorum mea doctrina est : sed non idcirco justificatus sum. Utinam fruar bestiis, quæ mihi sunt paratæ quas et oro mihi veloces esse ad interitum et ad supplicia, et allicio ad comedendum me, ne sicut aliorum, non audeant, corpus meum attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me ingeram ut devorer. Ignoscite mihi filioli, quid mihi prosit ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus nihil de iis quæ videntur desiderans, ut Jesum Christum inveniam. Ignis, crux, bestie, confractio ossium, membrorum divisio, et totius corporis contritio, et tormenta diaboli in me veniant ; tantum Christo fruar. Cumque jam ductus esset ad bestias, et rugientes audiret leones ait : Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar ut panis mundus inveniar. Profecto non fuisset illi tam fervens pro Christo patiendi affectus, si quicquam dulcius esse potuisset quam frui Christo. *BARON. Ann. Eccl.*, t. I, p. 7, 8.

S. Eadmundus Angliæ Rex cum se ab hostibus undique vallatum cognosceret, de consilio Humberti Helmhamensis Episcopi fugit ad Ecclesiam, ut se membrum Christi ostenderet, et armis temporalibus projectis cælestia induit humiliter, Patrem et Filium cum Spiritu Sancto deprecans, ut sibi in passione constantiam largiretur. Igitur a ministris iniquitatis clementissimus

rex Eadmundus ab Ecclesia truculenter extrahitur, loris dirissimis coarctatus : et sicut Christus ante Pilatum præsidem, ita ducitur Eadmundus ante iniquum ducem, cupiens ejus sequi vestigia, qui pro nobis immolatus est hostia. Quo jubente, ad arborem quamdam, quæ non multum aberat, ligatus, dirissime flagellatur, modisque omnibus illuditur : sed invictus athleta Christi Eadmundus inter flagella semper Christum invocando flebilibus vocibus tortores suos compulsi in furorem et ad ipsum tunc arcibus, quasi ad signum ludendo totum corpus ejus telis confodiunt et sagittis : nec erat locus in corpore Martyris vacuus, cui novum possit imprimi vulnus. Nam sicut Erycius in cute densis armatur spinis, ita corpus invicti Regis spiculis configitur sagittarum. Cum nec sic Hinguarum carnifex truculenter sanctum Martyrem Eadmundum a fide Christi et confessione Trinitatis potuisset separare, ut suis iniquis persuasionibus præberet assensum, protinus licitori mandat ut ense erento martyris caput præcidat. At licitor sanctum de stipite truculenter avulsim inter verba orationis et confessionis Christi nominis, unico ictu ipsum decapitando 12 Kal. Decembris gratissimum Deo holocaustum igne passionis examinatum cum palma victoriæ, et corona justitiæ transmisit ad cœlum. *Ibid.*, *Annal. Eccl.*, sub ann. 42.

Anno 1576. Captus est a Malavaribus Indis Gangem in ora Gommorinensi puer annorum duodecim cui nomen Joannis, natione Hispanus : patria Medina campi, cumque formosa ac liberali specie foret, dono datus est euidam Regulo, qui eximia pueri indole delectatus nihil non egit ut a Christi cultu illum deduceret : inter cætera est pollicitus se illi in matrimonio collocaturum filiam, quam pulcherrime ornatam jussit in medium procedere, ut ejus aspectu blanditiisque delineretur. Ubi vero post multa tentata se nihil proficere vidit, furore succensus atrocissimum supplicium mandat apparari. Nihil eo consternatus impubes, petito temporis spatio, quoque supplicaret Deo, intrepidus ad extremum se nihil facere omnia esse professus, itaque summus primo digitos deinde manus in plura frustra paulatim secuerant, idemque brachia ambobus fecere, mox ad pedes et crura venerunt minutatimque illa cœderant ; cumque sæpius ab ipso immanissimi tortores carnificesque exige-

rent, ut Christo nuntium remitteret, invictus hilarisque respondebat se nunquam id facturum, et ad adstantes conversus, in quibus multi erant captivi Christiani, ad eadem referenda hortabatur, affirmans se nunquam tantum lætitiæ cepisse, nunquam gustasse tantum suavitatis ; quibus verbis animo ardentissimo vitam finiit. *Th. BASSIE, Eccl.* l. xi.

De illustribus mulierum martyris.

Etiam horum martyriorum cognitio non parum conducet ad gratiæ divinæ virtutem et efficaciam demonstrandam ; quanto enim debilior est hic sexus, tanto majorem necesse est esse virtutem, quæ eundem, ad tanta tormenta tam generoso et infracto animo toleranda roboravit. *Bæv. rom.*, 5 febr.

De S. Agathæ illustri martyrio sic loquitur Breviarium : Agatha Virgo Sicilia nobilibus parentibus nata, quam Panormitani et Catanenses civem suam esse dicunt, in persecutione Decii Imperatoris Catanæ gloriosi martyrii coronam consecuta est. Nam cum pari pulchritudinis et castitatis laude commendaretur, Quintianus Siciliæ Prætor, ejus amore captus est. Sed cum tentata modis omnibus ejus pudicitia, Agatham in suam sententiam perducere non posset, Christianæ superstitionis nomine comprehensam Aphroditæ euidam mulieri depravandam tradit. Quæ Aphrodisiæ consuetudine cum de constantia colendæ Christianæ fidei et servandæ virginitatis, removeri non posset nunciata illa Quintiano, se in Agatha operam perdere. Quare ille ad se virginem adduci jubet : et, Nonne, inquit, te pudet nobili genere natam, humilem et servilem Christianorum vitam agere ? Cui Agatha : Multo præstantior est Christiana humilitas et servitus, regum opibus ac superbia. Quam ob rem iratus Prætor hanc ei optionem dat, velitne potius venerari deos, an vim tormentorum subire. At illa constans in fide, primum colaphis cæsa mittitur in carcerem : unde postridie educta, cum in sententia permaneret, admotis candentibus laminis in equuleo torquetur : tum ei mammilla absceiditur. Quo in vulnere Quintianum appellans virgo : Crudelis, inquit, tyrannus, non te pudet amputare in fœmina quod ipse in matre fuxisti ? Mox conjecta in vineula, sequenti nocte a sene quodam, qui